DE

ALEXANDRI DE VILLA-DEI

DOCTRINALI,

EJUSQUE FORTUNA,

THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

CAROLUS THUROT,

LICENTIATUS

Scholæ Normalis olim alumnus.

PARISIIS,

APUD DEZOBRY, E. MAGDELEINE ET Cie,

VIA DICTA DES MAÇONS-SORBONNE, 1.

M DCCC L.

DE

ALEXANDRI DE VILLA-DEI

DOCTRINALI,

EJUSQUE FORTUNA.

DE

ALEXANDRI DE VILLA-DEI

DOCTRINALI,

EJUSQUE FORTUNA,

THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

CAROLUS THUROT,

LICENTIATUS

Scholæ Normalis olim alumnus.

PARISIIS,

APUD DEZOBRY, E. MAGDELEINE ET Cie,

VIA DICTA DES MAÇONS-SORBONNE, 1.

M DCCC L.

DEFUNCTO AVUNCULO

FR. THUROT,

PROFESSORI REGIO

IN ACADEMIA INSCRIPTIONUM XL VIRO,

PIÆ REVERENTIÆ

MONUMENTUM DEDICAT FRATRIS FILIUS,

C. T.

A decimo tertio sæculo usque ad sextum decimum, Doctrinale ab Alexandro de Villâ-Dei conscriptum in omnibus Europæ scholis unicè vigebat dictatum, glossatum, ab universitatibus præscriptum, tanquàm sacro-sancta quædam grammaticæ doctrinæ auctoritas ab omnibus theologis et jurisconsultis habebatur; hodiè autem operis ipsius vix titulus innotescit. Quamobrem de Doctrinali ejusque fortunâ hæc disserere haud inutile duxi ad cognoscenda fata cùm linguæ Latinæ, tùm doctrinæ grammaticæ scholasticæ.

INTRODUCTIO.

§ I.

DE GRAMMATICA IN FINE DUODECIMI SÆCULI ET INITIO TERTII DECIMI.

Dominantibus in Europâ barbaris, non alia fuit ratio docendæ Latinæ grammaticæ in clericalibus scholis quàm in laïcis quæ, stante imperio romano, in omnibus urbibus Galliæ, Italiæ et Hispaniæ erant institutæ. Latina scilicet lingua ediscebatur partim scribendi et loquendi usu, partim grammaticorum præceptis, et veterum auctorum, præsertim poetarum enarratione. Ferè enim ad decimum usque septimum sæculum clerici doctique homines linguam Latinam in scriptis et quotidianâ consuetudine retinuerunt. Grammatices verò nomine, usque ad tertium decimum sæculum, ut Quintiliani temporibus, comprehendebatur cùm regularum ipsarum scientia, tùm poetarum enarratio.

At circa decimum tertium sæculum, scholastici homines à veterum exemplis et præceptis longiùs aberrare cœperunt.

Ob illam latinæ linguæ vitam classica puritas corruptione quadam inficiebatur. Quidquid enim vivit movetur ac mutatur, nec linguâ tanquam maternâ et vivâ uterentur homines, nisi quotidiano vivendi et cogitandi usu eam accommodarent. In fine duodecimi sæculi et initio tertii decimi logica et theologia vulgò dicta scholastica præ cæteris artibus æstimabantur, quibus quidem Ciceronis et ipsius Augustini dicendi genus parùm congruebat. Porrò cùm clerici vulgarem linguam longè à Latinâ abhorrentem sæpissimè loqui cogerentur, doctam consuetudinem indoctâ contaminabant. Hinc perversa latinitas, quâ docti et clerici tanquàm vivâ et maternâ linguâ utebantur, adeo ut propriam consuetudinem antiquorum auctoritati aut æquipararent, aut etiam anteponerent. Alexander affirmat præscriptas ab antiquis de accentu leges à *nostris* esse abrogatas.

His temporibus, linguæ latinæ præcepta in duas partes distribuebantur : altera, pueris accommodata, complectebatur elementaria et simplicissima quæque, videlicet enumerationem et definitionem partium orationis, declinationes et conjugationes; alterâ, provectioribus destinatâ, subtiliores quæstiones continebantur. Hæc divisio, ex necessitate nata, semper in scholis observata est.

Libellus Donati de octo partibus orationis, qui Romanorum elementariis pueris proponebatur, permansit in scholis usque ad sextum decimum sæculum, et grammaticæ *fundamentum* quod vocabant habebatur. Tanta est vis consuetudinis in scholasticis rebus! Textus autem corruptus, interpolatus, et in quæstiones responsionesque redactus circumferebatur, cum ineptâ Remigii glossâ [1].

De subtilioribus autem quæstionibus, in fine duodecimi

[1] Etymologiis in primis referta est. Ab unâ disce omnes : *Titulus dicitur a Titane, id est sole, quia sicut sol illuminat mundum, ita titulus librum.* Glossa textui inserta est. Textus enim Donati jam ab antiquo sic corruptus erat. Legitur in præfatione Donati MS, qui decimo sæculo

sæculi, unus Priscianus in scholis prælegi cœpit, et tanquàm grammaticalis quidam Aristoteles cæteris anteponi. Ars grammatica Prisciani in duas partes dividebatur, quarum prior, quæ sedecim libros de octo partibus continet, vocabatur *majus volumen Prisciani*, seu *Priscianus major*; posterior autem, quæ duos tantùm ultimos libros de constructione complectebatur, vocabatur *minus volumen Prisciani*, seu *Priscianus minor* [1]. Priscianus eâdem ferè ratione, quâ Aristoteles, enarrabatur. Petrus Helias, grammaticus in Parisiensibus scholis circa 1150 præclarus [2], in *summâ* [3] quam de arte grammaticâ Prisciani composuit, rerum ordinem prolixè enarrat, textum auctoris in minutissimas particulas secat, verba in ordinem logicum redigit, pluribusque explicat, in quæstiones quasdam præsertim logicas et philosophicas interdùm digreditur, Prisciani autem ipsa de grammaticâ præcepta rarò cum cæterorum grammaticorum opinione, nunquam autem cum veterum classicorumque scriptorum usu confert; exempla etiam tam sæpè à Prisciano laudata plerumque omittit. Hæc summa Petri Heliæ in tres partes dividitur; in primâ Priscianum majorem, in secundâ minorem, in tertiâ libellum Donati de figuris grammaticis commentatur. Etenim libellus Donati de figuris grammaticis Prisciano plerumque adjungebatur; istum libellum bre-

videtur exaratus (Bibliotheca olim regia, numero 7540) : Artium Donati liber ita a plerisque vitiatus est et corruptus, dùm unusquisque pro lubitu suo, sive ex aliis auctoribus quod visum est addidit, sive declinationes aut conjugationes et cætera hujusmodi inseruit, ut in antiquis codicibus vix purus et integer, ut ab eo est editus, reperiatur.

[1] In omnibus codicibus Prisciani invenitur hæc distinctio : *volumen majus*, *minus*, quam Krehlius in editione sua repetit. Jam Ramus (*Oratio pro philosophicâ disciplinâ*, éd. Basil., 1569, p. 1084) sic rectè interpretatus erat verba *Priscianum majorem*, *minorem*, quæ leguntur in statuto Artistarum studii Parisiensis lato anno 1254 (Bulæus, III, 280). Legitur quoque in reformatione Roberti Curthonensis anno 1215 facta : Legant etiam in scholis ordinariè *duos Priscianos*, vel alterum ad minus (Bulæus, III, 82).

[2] Cf. *Histoire littéraire de la France*, XIII, 303.

[3] Invenitur in bibliothecâ dictâ *de l'Arsenal* sub hoc titulo : *summa Petri Heliæ super Priscianum*, in codice Victorino f° qui tertio decimo sæculo videtur esse exaratus.

viori nomine *barbarismum* vocabant e primo titulo, qui est *de barbarismo* [1].

Grammatica ipsa in fine duodecimi sæculi non minùs laborabat quàm Latinæ linguæ integritas. Logica enim et theologia novâ subtilitate grammaticam et veterum scriptorum studium opprimebant. Legitur in *Esthetico* Johannis Sarisberiensis [2] :

Littera sordescit, logica sola placet.

Omnes ferè hujus ætatis scriptores grammaticam prorsùs negligi, logicam solam coli conqueruntur [3]. Scholæ Parisienses logicam præcipuè excolebant; Aurelianenses autem antiquorum auctorum et grammaticæ studium pertinaciter retinebant [4].

[1] Tam pronum est hunc libellum a primo titulo nominare, ut ipse recens editor, Lindemannus, in præfatione ad artem Donati (*Grammatici veteres*, I, 1831) bis scribat : *Libellus de barbarismo*, de tertiâ editione Donati. Legitur autem *barbarismus* in reformatione Curthonensi : « Non legant in festivis diebus nisi philosophos et rhetoricas, » et quadrivialia, et *barbarismum*, et ethicam, si placet, et quartum » topicorum (B. III, 82). » Et in statuto Artistarum anno 1254 : Tres *parvos* libros, scilicet sex principia, *barbarismum*, Priscianum de accentu (B. III, 280). Hinc patet cur Henricus Andelius, in *Bataille des Sept Arts* (Ruteboeuf, éd. Jubinal, II, 427,) dicat de barbarismo quem vocat *dan Barbarime :*

S'est-il *homme lige Gramaire*
Des meillors genz de son aumaire,
Mès il maintenoit cete guerre,
Qu'el *païs logique avoit terre.*

Figuræ enim Grammaticæ e Grammaticâ pendent, et istis temporibus, *logicè* explicabantur.

[2] Apud *Rémusat, Abèlard,* I, 308.

[3] Gyraldus Cambrensis apud Wood, *Antiquitates Universitatis Oxoniensis,* I, 54.

[4] Gaufridus de Vino-Salvo, in *poetriâ,* apud Leyser, *Historia poematum medii ævi* (versus 1012–1013) :

. . . . Aurelianis
Educat in cunis auctorum lacte tenellos.

Henricus Andelius, *Bataille des Sept Arts* (Ruteboeuf, éd. Jubinal, II, 416–435).

Sed mox, in tertio decimo sæculo, quo tempore Digestum glossis, Aristoteles commentariis, antiqui patres Petri Lombardi sententiis obscurabantur, veteres tùm poetas tùm grammaticos novi et barbari scriptores, sed istis temporibus accommodati, exceperunt. Alexander de Villâ-Dei invehitur in antiquos scriptores ut impios et christianis hominibus indignos [1], *sectam* veterum poetarum reprehendit, quæ Venerem, Jovem et Bacchum colebat,

> Libros falsorum scribens in honore deorum.
> . . . .
> Restat adhuc plures involvens fœda scholares
> Secta, nec a tali cessant errore magistri.
> Sacrificare Deis nos edocet Aurelianis,
> Indicens festum Fauni, Jovis atque Lyæi.
> . . . .
> Non decet illa legi, quæ sunt contraria legi.
> Has abolere volens sordes et cordis et oris,
> Vivifico clerum Riga Petrus rore rigavit.

Magistris etiam poetas antiquos prælegentibus æternas pœnas minatur :

> Aurelianistæ via non patet ad paradisum,
> Ni priùs os mutet.

Multi sanè de veteribus poetis haud aliter quàm Alexander sentiebant [2]. Virgilio igitur et Ovidio anteponebantur Dionysii Catonis disticha, liber Theoduli, Facetus, liber de contemptu mundi, liber Tobiæ, Petri Rigæ aurora. Carmina ista pueri potissimùm exscribebant et ediscebant. De verborum significatione non veteres, sed Hugutionem, Papiam, Joannem Jannensem adibant, quorum lexica multa complectebantur cùm

[1] In prologo *Ecclesialis* MS. quod legitur in codice Victorino membranaceo, qui servatur in bibliothecâ Galliarum, olim regiâ, et numerum habet 585.

[2] Petrus Blesensis, *Epist.* 6. Johannes Sarisberiensis, *de nugis curialium*, VII, 9. Henricus Andelius, *Bataille des Sept Arts* (Rutebœuf, éd. Jub., II, 428).

ad liberales artes tùm ad ecclesiæ usum et sacrorum librorum interpretationem pertinentia. Prisciano ipso potiora esse videbantur compendia technicis hexametris conscripta. Glossatores Alexandri sæpè laudant hos versus :

> Metra juvant animos, comprehendunt pluria paucis,
> Pristina commemorant; sunt hæc tria grata legenti.

Johannes de Garlandiâ synonyma, æquivoca, orthographiam, multa alia hexametris exposuit. Petro Heliæ tribuitur versio metrica majoris Prisciani [1]. Ebrardus Bethuniensis verborum significationes opere metrico comprehendit, quod *Græcismi* nomine usitatissimum fuit usque ad decimum sextum sæculum [2]. Alexander denique vulgò dictus de Villâ-Dei regulas gammaticas, quæ adhùc ex Prisciano, Donato de figuris, et aliis auctoribus tradebantur, technico poemate complexus est, cui *Doctrinale* titulum fecit.

[1] Grammatica metrica Petri Heliæ, veri Prisciani imitatoris. Argentinæ, 1499.— Cf. Leyser, *Hist. poem. med. æv.*, p. 1167.

[2] Græcismus lexicon est, non grammatica. Ipse enim Ebrardus scribit in prologo : *Dictionum significationes, significationum differentias, in quibus scilicet dictiones conveniunt, in quibus a se differunt..... proposui declarare.*— Suspicor undecim prima capitula et tria ultima ipsi Ebrardi operi addita esse. Ebrardus enim scribit in prologo : « Ea quæ locorum » diversitate et significationum multiplicitate confusa sunt, *secundùm* » *Donati ordinem executus, primò de nomine*, secundò de pronomine » tractans, et sic deinceps, stylum acuere prædestinavi. » Undecim autem prima capitula in Græcorum verborum etymologiis versantur, unde operi sanè *Græcismus* nomen impositum est, de quibus nihil auctor pollicitus est. Capitulum autem de interjectionum significatione tria capitula de regulis grammaticis sequuntur. Omnes codices post verbum *prædestinavi* addunt titulos undecim primorum capitulorum, tria autem ultima omittunt.

—

§ II.

DE VITA ALEXANDRI.

In antiquissimis Doctrinalis codicibus[1], auctor operis vocatur unanimi consensu : *magister Alexander de Villâ-Dei.* Henricus Gandavensis [2] primus *Dolensem* cognomen addit. *Alexander Gallus* interdùm vocatur, præsertim extra Gallias [3].

Alexander igitur e Villâ-Dei oriundus erat Neustriæ urbe, quæ Abrincis proxima est[4].

Quo tempore autem vixerit certos intra fines definire difficillimum est. In prologo Ecclesialis, ut supra (p. 7.) vidimus, Alexander loquitur de aurorâ Petri Rigæ, quæ in lucem edita est ultimis duodecimi sæculi annis[5]. In eodem Ecclesiali, Alexander tradit consuetudinem quæ à Normannis observatur de treugâ Beatæ Mariæ, et scribit hos versus :

> Tempore si treugæ teneat quis monomachiam,
> Præsumens contra juramentum *ducis*, illo
> Ex feodo debet amittere jura duelli.

Normannia non jam *ducem* habuit, ab anno 1203, quo Phi-

[1] His Doctrinalis codicibus usus sum. 1° Codices bibliothecæ olim regiæ, omnes membranacei : 8422 scriptus anno 1276; hunc litterâ A noto. 8153 quarto decimo sæculo exaratus; litterâ B noto. 8152 quarto decimo sæculo videtur esse exaratus. Glossas paucas et interlineares habet; litterâ C noto. Codex Navarrensis numero 94 quarto decimo sæculo videtur esse exaratus. Litterâ N noto. — 2° In bibliothecâ urbis Aurelianensis servatur codex Doctrinalis manuscriptus membranaceus qui anno 1280 exaratus est; litterâ O hunc designo. — 3° Servatur in bibliothecâ dictâ *de l'Arsenal* codex Doctrinalis Victorinus membranaceus qui anno 1375 exaratus est. Litterâ V hunc designo.

[2] *De Scriptoribus ecclesiasticis*, cap. 59.

[3] *Epistolæ obscurorum virorum.*

[4] Hodie : Ville-Dieu-lès-Poolons, département de la Manche, 19 kil. N. E. d'Avranches.

[5] Cf. *Histoire littéraire de la France*, XVII, 26.

lippus Augustus hanc provinciam regno subjunxit [1]. Itaque Alexander Ecclesiale scribebat inter editionem Auroræ et annum 1203. Hinc conjicias Alexandrum vixisse circa annum 1200.

Hanc conjecturam firmant antiquissima de Doctrinali testimonia. Neminem invenire est qui de Doctrinali scripserit, ante Henricum Gandavensem, qui anno 1274 [2] de hoc libro loquitur ut pervulgato. — Legitur in glossâ V (folio 13 verso) : anno *millesimo ducentesimo* compositus fuit iste liber. — Legimus in fine codicis *N* hos versus, aliâ tamen manu quàm cætera scriptos :

Anno milleno ducenteno minus uno
Doctor Alexander venerabilis atque magister
Doctrinale suum dedit in commune legendum.

Iidem versus leguntur in fine notæ Helmstadtiensi codici affixæ [3], sed primo versu sic mutato :

Anno milleno ducentenoque noveno.

Scholasticus homo certè fuit Alexander ; patet et ex ipsius scriptis, et his Ecclesialis versibus :

Et quòd doctrinæ tres, sicut diximus antè [4],
Officium fundant et honorant Ecclesiale,
Emunes reor esse scholas quibus ista *docemus*.

Ubi autem docuerit planè incertum. Circa annum 1200, propè Normanniam, scholæ Parisienses et Aurelianenses erant celeber-

[1] In chartâ quam anno 1207 Rhotomagensibus concessit, Philippus se *regem Franciæ*, non *ducem Normanniæ* nominat (Cf. Ordonnances des rois de France, II, 412).

[2] *De Script. eccl.*, c. 59. — De anno hujus libri vide Echard, *de Script. ord. Prædic.*, I, 218. Cf. *Hist. littér. de France*, XX, 164.

[3] Apud Leyser, *Hist. poem. med. æv.*, p. 768.

[4] Grammatica, scilicet, computus et theologia. Cf. infra p. 15, n. 1.

rimæ. Parisienses professores in logicâ magis versabantur.[1]; patet autem ex versibus suprà (p. 7.) laudatis Alexandrum non docuisse in scholis Aurelianensibus. Legitur autem in glossâ N in prooemio : (*Doctrinalis causa efficiens remota fuit Dolensis episcopus, cujus petitioni honestè auctor iste acquiescens, ad introductionem suorum nepotulorum sarcinam hujus operis aggressus est*[2]). Hæ quidem glossæ parum auctoritatis habent. Attamen cùm Alexander in Ecclesiali de treugâ apud Normannos observatâ copiosè disserat, librum Normannis presbyteris scripsisse videtur. Nam extra Normanniam, quis ex his versibus utilitatem percepisset, quis etiam eos intellexisset? His versibus si conferas illos versus Doctrinalis :

Rhotomagi studeas, vel Romæ deinde moreris[3].
Qui modo rure canit, *Vernone* canat, vel Athenis[4].

conjicias Alexandrum in Neustriâ, patriâ suâ, docuisse, cùm e proximis rebus regularum exempla petere videatur.

Clericus certè Alexander erat. Primus Trithemius[5] dicit Alexandrum fuisse « ordinis, ut dicunt, fratrum Minorum » In scriptis quidem nihil reperitur, ex quo suspicari possimus, eum seu Minoritam fuisse, sive etiam monachum.

Waddingus[6] primus et solus addit Alexandrum fuisse docto-

[1] Nota Helmstadtiensis quam Leyser exscripit p. 768 planè nugatoria est, ut infra de scriptis Alexandri apparebit, et jam apparebat ex hoc versu prologi Doctrinalis :

Pluraque doctorum sociabo scripta meorum.

Non igitur *sociorum* scripta collegit.

[2] Glossa quoque V in versus 26-28 prologi Doctrinalis : Composuit istum librum metricè ad *petimentum cujusdam episcopi.* — Quòd si *Dolensis* cognomen ab Henrico Gandavensi datum conferas, conjicias Alexandrum forsan aliquando in ecclesiâ Dolensi docuisse.

[3] *Doctrinale*, VIII, 127. Numerus Romanus Doctrinalis capitulum, Arabicus capituli versum indicat.

[4] *Ibid.*, 205.

[5] *De Scriptoribus eccl.*, n° 403. — Cf. *Martyrologium Franciscanum*, 3 febr.

[6] *Scriptores minorum*, p. 10.

rem Sorbonicum. Quod quidem nec Waddingus ullâ auctoritate firmat nec verisimile videtur.

Itaque hæc tantùm de vitâ Alexandri pro certis habere licet, eum scilicet oriundum e Villâ-Dei in Neustriâ vixisse circa annum 1200, clericum fuisse, docuisse grammaticam. Nec mirum videri debet hominis scholastici notiora esse scripta quàm vitam.

§ III.

DE SCRIPTIS ALEXANDRI.

Auctores ferè omnes qui de Alexandro scripserunt, de ejus scriptis erraverunt; excusabiles quidem, quòd rerum veritas decimo tertio sæculo et vivo forsan auctore jam obscurata, decimo quarto sæculo plerumque ignoraretur; ut errores illi antiquitatem saltem præ se ferant.

Nova autem et certa de scriptis Alexandri nobis ministrat manuscriptus liber qui in bibliothecâ Galliarum olim regiâ servatur sub numero 7682 A. Codex iste membranaceus, formâ quadratâ minori, duo opera complectitur, quorum prius decimo quarto sæculo (ut scribitur in catalogo) videtur esse exaratum; posterius aliâ manu scriptum, decimi potius tertii sæculi esse crediderim. Prius opus lexicon quoddam est secundùm ordinem rerum digestum et Isidori originibus haud absimile. Deinde a folio 88 legitur alius glossarii prologus versibus scriptus, cui nullus est fronte præmissus titulus; prologum autem sequitur hic titulus rubro colore depictus : *incipit majus alphabetum magistri Alexandri de Villâ-Dei de expositionibus dictionum.* In fine autem libri hæc leguntur : *ego Alexander Dei gratia opus inceptum peregi.* Prologi illius, qui adhuc ignotus maximi tamen est momenti, versus exscribam, qui ad co-

gnoscendum operis consllium et ad cætera auctoris scripta maximè faciunt :

Vocum pro posse paro significata docere.
Fiat cœlestis mihi præsens gratia patris,
Ut possim... prodesse minusque peritis.
Istius est operis eadem sententia primo;
Sed tamen in verbis multum variatur ab illo;
Prosaque quod dat ibi, volo versibus hic reserari
Ex magnâ parte, prout esse videbo necesse,
Auxilioque metri poterit levius retineri.....
. . . .

Deinde auctor qualem alphabeticum ordinem in disponendis vocibus sequutus sit, exponit, tùm quæ in opere inveniantur :

Mente notes firmâ cùm dictio ponitur una :
Plura decebit ibi quandoque notanda locari,
Ut fiant per ea sua contingentia nota :
Quæ sit pars ipsa, quid sit genus, atque figura,
Si derivetur, si primitialis habetur;
Si declinetur, sua declinatio detur;
Si plus sive minus recipit, decet ut doceamus;
Horum defectus simili ratione notemus;
Et verbo posito sua declinatio debet
Atque figura dari, vel cujus sit speciei,
Et genus, et forma, cum præteritisque supina,
Aut est defectus simili ratione notandus.
. . . .
Dictio quandoque datur exponenda per æquè
Vel magis ignotam; tunc quæres expositivam;
Quâ notâ, per eam poteris cognoscere primam.

Cùm sim Christicola, normam non est mihi cura
De propriis facere, quæ gentiles posuère.
Propria ponuntur ac exponuntur Hebræa,
Quæ sancti posuêre patres in bibliothecâ
Ut loca signentur, et personæ memorentur;
Harum per normam cognosces orthographiam.
Scribuntur multis malè propria bibliothecis.
. . . .

Digrediens metas excedam sæpe statutas :
Hic sunt inserta quædam plerumque jocosa,
Ponere quæ poterit vel non apponere scriptor
Ut gratum fuerit, vel non prodesse videbit;
Non nisi per versus erit hæc digressio scripta.

Quæ doctrinali sunt scripta vel ecclesiali,
Libro cuncta fere fuerant contenta priore :
Quæ de grammaticâ sunt visa mihi magis apta
In doctrinali pro magnâ parte locavi;
Compotus et quidquid circa jus officiumque
Ecclesiæ dixi ponuntur in ecclesiali;
Sicque sub hâc serie non est opus hoc renovare.
Hic quasdam logicæ claves poteris reperire :
Qui volet, has scribat; qui volet, prorsus omittat.
. . . .
De quovis genere rerum fit mentio; sicque
Nullus miretur, si grande volumen habetur.

Si versibus 82-87, conferas hos versus qui leguntur in prologo Doctrinalis :

Post *alphabetum minus* hæc doctrina legetur.
Inde leget *majus* mea qui documenta sequetur.
28 *Iste fere totus liber est extractus ab illo.*

profitente ipso auctore, consequimur hæc :

Alexander primum opus edidit, pedestri sermone conscriptum, in quo, secundùm ordinem alphabeticum, multa congesserat cùm ad artes liberales tùm ad sacrorum librorum interpretationem pertinentia; quod quidem Joannis Januensis Catholico videtur esse simillimum. Opus illud Alexander ipse vocat (prologi inediti v. 4.) *primum* opus, et (ibid. v. 85) *librum priorem.* Si denique conferantur prologi inediti versus 86-87 cum versu 28 prologi Doctrinalis, patet *priorem* illum *librum* fuisse *Alphabetum majus.*

Ab illo Alphabeto majori, Alexander (ut ipsius verbis utar) *extraxerat* tria opera versibus scripta, ad institutionem usumque clericorum accommodata, et quibus clericalem chris-

tianamque quamdam ἐγκυκλοπαιδείαν complecti sibi videbatur (1)[1], *Doctrinale* scilicet, *ecclesiale*, glossarium denique illud cujus prologum exscripsimus, proprium tamen titulum in prologo nusquàm Alexander indicat.

In *Doctrinali* leoninis versibus descripserat quæ de grammaticâ sibi videbantur magis apta.

In *Ecclesiali* reposuerat quidquid pertinebat ad compotum, jus, et officium ecclesiæ.

Glossarium, omissis iis quæ jam in Doctrinali et Ecclesiali exscripserat, non alia continebat quàm Alphabetum majus, scilicet vocum significationes et grammaticalia accidentia, synonyma, Hebræorum nominum expositiones, quædam ad logicam pertinentia. Ordinem partim alphabeticum, partim grammaticalem sequebatur, dùm primitivis derivata, simplicibus composita subjungit. Quod in alphabeto majori pedestri sermone scriptum fuerat, versibus plerumque reddebat Alexander; *jocosas* denique digressiones addiderat.

His scriptis addendum esse videtur, ex prologo Doctrinalis, *Alphabetum minus* de quo nihil mihi constat. Suspicor tamen ex ipsis auctoris verbis et Doctrinalis consilio librum istum elementarium quoddam opus fuisse. Dubitare tamen licet an Alphabetum minus ab Alexandro ipso fuerit profectum. In prologo enim inedito opus ante Doctrinale scriptum silentio prætermisit, nec in prologo Doctrinalis apertè se Alphabeti minoris auctorem profitetur. In Doctrinali ipso elementarios ad Dona-

[1] Alexander enim sic scribit in prologo Ecclesialis :

> Est doctrina triplex quam credimus ecclesiali
> Officio gratam. Prior est quasi porta duorum ;
> Hæc est grammatica quæ præcedit, sequiturque
> Compotus. His summa dominatur Theologia.

Et supra scripserat :

> Dum legitur nobis idolatria, discere multa
> Congrua *Doctrinæ* possemus et utiliora.
> Utile credo pari meliora labore lucrari.

tum ablegat[1], nusquàm autem ad Alphabetum minus. Alexandro tamen tribuendum esse videretur, quòd titulus *Alphabetum minus* Alphabeto *majori* quodam modo respondeat.

Quatuor igitur opera, cùm illum prologum scribebat, confecerat Alexander, pedestri sermone unum, tria metricè; his si Alphabetum minus addas, quinque habebis.

Nunc breviter demonstrabo quæ fuerint deperdita, quæ autem etiam nunc exstent.

1°. Alphabetum majus hodiè deperditum esse censeo[2]. Invenitur tamen in bibliothecâ Galliarum olim regiâ, numero 7621, codex manuscriptus, membranaceus, f°, qui tertio decimo sæculo videtur esse exaratus[3], in cujus fine hæc leguntur, abrasâ membranâ, et pallidiori quàm cætera atramento scripta: *explicit antiquus monachus qui secundùm aliquos glossavit Doctrinale, et est valde notabilis liber.* Et inferius adscriptum eâdem manu : *vel alphabetum Alexandri de Villâ-Dei in Neustria.* Liber 121 folia habet, grammaticalia multa per ordinem alphabeticum continet, et pedestri sermone est scriptus ; nihil tamen aut ferè nihil quod ad Hebræorum historiam aut geographiam pertineat invenies. Grammaticæ finibus se continuisse auctor videtur, nec ideo liber cum ἐγκυκλοπαιδεία Alphabeti majoris confundi possit. Præfatio libri ad imitationem Martiani Capellæ composita Grammaticam fingit scriptori in nocte hiemali apparentem, nec quidquam nos de scriptore ipso docet. Cæterùm librarius ipse hæsitavit, nec in ipsâ notâ se operum

[1] I, 335 :

Formans quis vel qui *Donato crede minori.*

VI, 1 :

Donatum sequere per verba fruentia lege.

Donatus minor vocabatur Donati libellus de octo partibus orationis. *Donatus minor octo partium orationis. Augustæ Vindelicorum* 1481.

[2] Indicat Panzerus : *Alexandri grammatici vocabularius Argentorati* 1493. Quem librum non vidi. Iste vocabularius forsan est glossarium metricum, de quo infra.

[3] Librum indicavit Oudinus, *de Scriptoribus ecclesiasticis*, III. Cf. Sbaraglia, *supplem. ad Scriptores fratrum minorum*, p. 12.

Alexandri ignarum ostendit, cùm *Alphabeto* vocabulum *majus* non addiderit. Titulus autem *Alphabetum majus* codici 7682 A adscriptus [1] falsus est, cùm ex ipso prologo operis et prologo Doctrinalis (27) pateat glossarium illud metricum ex Alphabeto majori fuisse extractum.

2°. *Doctrinale* totum habemus.

3°. *Ecclesiale* etiam nunc extat in codice Victorino bibliothecæ Galliarum, olim regiæ, qui numerum habet 585. Liber membranaceus tertio decimo sæculo videtur esse exaratus. In folio 164 (verso) legitur hæc rubrica : *incipit ecclesiale magistri Alexandri de Villâ-Dei.* Deinde sequitur prologus contra antiquorum scriptorum studiosos (67), mox ipsum opus cujus conspectum exhibebo, numeris versuum additis, plerumque ex ipsis rubricis : de ædificatione ecclesiæ (10), de treugâ (28), de festis per circulum currentibus (77), de personis ecclesiæ et de decimis (129), de januario et ejus accidentibus (de circumcisione Domini, de octavis Johannis et Innocentium, de epiphaniâ Domini) (160), de februario et ejus accidentibus (de termino quadragesimæ et de decimâ dierum, de officio tenebrarum) (201), de martio et ejus accidentibus (de annunciatione) (106), de cæteris mensibus et eorum accidentibus (382), de historiis totius anni (81), de septem horis diei (45), de officiis totius anni (169), in quibus festis *gloria in excelsis* decet cantari (9), de modo finiendi collectas (17), de *credo* in quibus festis decet cantari (22), de præfationibus (20), de ordinibus angelorum (5), de ætatibus mundi (19), de octo beatitudinibus (9), de decalogo (23), de septem vitiis principalibus (38), de spherâ (132), de quatuor partibus mundi (22), de tabulâ (53).—Ovidii fastis hoc poema Alexander ipse opponebat [2], quod definire possis, rationale quoddam divinorum officiorum cui quædam de computo intertexta sunt.

4°. Metricum autem illud glossarium ex Alphabeto majori

[1] Cf. supra p. 10.

[2] Sic scribit in prologo Ecclesialis :

> *Falsum de fastis fatuus legat;* ecclesialis
> Vera calendaris sit cara scientia nobis.

decerptum hodiè in codice 7682 non certè totum habemus. Non in manuscripto inveni jocosas digressiones aut logicæ claves. Operis ipsius compendium et illud quidem brevissimum nunc tantùm superest. Technicos quosdam versus librarii servârunt; sed forsan jam olim utebantur illâ omittendi licentiâ, quam Alexander in prologo exscribentibus concedere videtur.

5°. *Alphabetum minus* deperditum esse censeo. Falsò enim glossator V ad versus 26-28 prologi Doctrinalis dicit prologum glossarii metrici præmissum esse *minori Alphabeto*, cùm glossarium illud post Doctrinale, *Alphabetum* autem *minus* ante Doctrinale scriptum fuerit.

Quanta Doctrinali celebritas contigit, tanta obscuritas cætera Alexandri opera oppressit, ut jam tertio decimo sæculo ipsorum memoria aboleretur. Jam ante annum 1276, glossatores quidam verba *Alphabetum majus* ad Prisciani opus referenda esse censebant, Alphabetum autem minus ad Donatum [1]; alii verò hæc Alphabeta ab Alexandro profecta esse arbitrabantur, quòd versus 28 prologi Doctrinalis

Iste fere totus liber est extractus ab illo

malè congruat Doctrinali et Prisciano. Nam, ut rectè ait glossator O ad hunc versum, a Prisciano Alexander *non extraxit libri medietatem.* Glossatores isti tamen opera ipsa non viderant; nam Alphabetum majus grammaticâ tantùm contineri putabant. Hanc opinionem glossator N reprehendit : *si*, ait ad versus 26-28 prologi Doctrinalis, *auctor tantæ auctoritatis fecisset tales libros, aliqua memoria de ipsis haberetur. Sed non invenitur aliquis qui dicat se vidisse. Ideo sanius... dicamus minus Alphabetum Donatum et majus Priscianum.* Hanc opinionem sequuntur plerique glossatores. Solus glossator V prologum glossarii metrici novit, versum primum,

[1] Glossa B etiam in versu 26 prologi Alphabetum minus *Donatum minorem* (sive de octo partibus orationis), et in versu 27 Alphabetum majus *Priscianum majorem* interpretatur.

et versus 82-88 hujus prologi laudat [1], qui rerum veritatem apertè declarant; glossarium tamen metricum falsò Alphabetum minus esse putat.

Trithemius in Alexandro Alphabetum majus, Ecclesiale, glossarium metricum silentio prætermisit. Alia autem opera Alexandro tribuit, scilicet de arte numerandi librum unum, de sphæra librum unum, sermones et epistolas aliquot. Waddingus addit acta apostolorum versibus scripta [2].

In bibliothecâ Galliarum, olim regiâ, in tribus codicibus pergameneis qui quarto decimo sæculo videntur esse exarati, 7420 A, 7420 B, 7477, invenitur carmen technicum de *algorismo*; sic enim his temporibus vocabant artem numerandi. In solo codice 7420 A legitur in fine : *explicit algorismus editus a magistro Alexandro de Villâ-Dei* [3]. In 7420 et 7477 nullum auctoris nomen additur. Ipsi operi nullus prologus præmittitur.

In iisdem codicibus ante algorismum invenitur carmen technicum de computo ecclesiastico, quod titulum habet *massam compoti*. Auctor operis in prologo ipse scribit : « quum « de pluribus operibus vel libris aliorum liber iste colligitur, « sicut de multis laminis æris in conflatorio una massa efficitur, « ideo librum istum volui vocari *massam compoti*. » Librum ipse dividit in quatuor partes, de calendario, de cunctis terminis, de solari cyclo, de lunari cyclo et epactis. In solo 7420 A legitur in procœmio (11 verso) : « titulus talis est : incipit massa compoti « a magistro Alexandro de Villâ-Dei composita vel edita.» 7420 B et 7477 de auctoris nomine tacent. Liber autem nihil cum Ecclesiali commune habet, in quo tamen Alexander ipse dicit

[1] In procœmio.

[2] Cf. Sbaraglia, l. c. p. 2.

[3] Opus sic incipit :

> Hæc algorismus præsens ars dicitur, in quâ
> Talibus Indorum fruimur bis quinque figuris...

Edidit poema vir doctissimus James Orchard Halliwell in opere cui titulus : *Rara Mathematica*. Lond. 1839, in-8°, p. 73-83. -- Cf. et præfat., p. 6.

in prologo glossarii se egisse de computo. Censeo igitur massam compoti non esse Alexandri.

Libri de sphæra, sermonum [1] et epistolarum, carminis de actis apostolorum nullum codicem vidi. Libro de sphæra forsan continentur 132 versus de sphæra qui leguntur Ecclesiali [2].

Cùm tanta esset jam ante annum 1276 ignorantia de Alexandri scriptis, licet diffidere librariis temerè hunc aut illum librum Alexandro tribuentibus. Quàm parum enim valeant notæ istæ codicibus affixæ, jam experti sumus.

[1] Indicat Panzerus (IV, 81) : *Sermo doctissimi viri Alexandri de Villâ-Dei*. In-4° (sine loco et anno).

[2] Cf. supra p. 17.

PARS PRIOR.

DE DOCTRINALI.

§ I. DE TEXTU DOCTRINALIS.

Antequam de Doctrinali ipso disseram, necesse mihi videtur aliquid de ipso textu dicere. Primùm e prologo glossarii metrici proponam hos versus Alexandri de glossatorum licentiâ querentis :

Hæc alicui si quis legat exponendo minori,
Deprecor hunc ut, quod posui minus, exposuive
Non benè, supplere velit; apponet moderatè,
Non tamen in serie ponendo, sed memorando
Tantùm per verba, vel margine suppleat extra.
Si, quandoque velit, addat lector seriei,
Non poterit libri certus sic textus haberi.

Alexandro forsan Doctrinale suum obversabatur. Multas enim immutationes passum est. Scholasticus liber tanquam commune bonum habetur, et rerum utilitate potius quàm auctoris ingenio æstimatur. Res autem quò sæpius tractantur, eò magis mutantur. Prætera scholares medii ævi, in tanta librorum raritate, quamplurima in suum codicem congerebant, parùm de ipsâ auctoris manu solliciti. Denique in Doctrinali, ut in grammatico poemate, sæpissimè nec verba nec versus arctissimo vinculo cohærent, et enumeratio præcipua dicendi figura usurpatur. Propterea hiant multa intervalla quò nova inculcari possint. Multa esse textui Doctrinalis addita et conjicere pronum est et probare facillimum.

In cunctis codicibus persæpè invenias mancos et imperfectos versus qui neque cum præcedenti neque cum sequenti cohærent. Hic ex pluribus exemplis quædam subjiciam. Legitur in I, 176-77 :

> A verbis in *go* veniens *x gis* tibi format;
> *Conjugis n* removet.

I, 102-03 :

> Et dices *epatis; jubaris* cum *nectare* ponis.
> *Asparis* usus habet et *bostaris*.

I, 243-44 :

> Simplex compositi normam quandoque tenebit.
> Sic *cor opes*que probant.

Persæpè codices alter alterius lacunam explent, versus enim I, 177 sic legitur in B et C :

> *Conjugis n* removet, cùm rectus *n* sibi servet.

I, 103 in iisdem codicibus :

> *Asparis* usus habet, et *bostaris* insuper addis.

I, 244 autem in C :

> Sic *cor opes*que probant, si componuntur utrumque.

Manifesta est interpolatorum manus. Hinc versus ipsos qui integri in omnibus codicibus leguntur, interdùm fuisse interpolatos suspicari licet. Auctor ipse ait in IV, 29-31 :

> Barbara græca genus retinent quod habere solebant.
> Debes in mente generalia dicta tenere,
> Et sic excipere, quia non licet hæc iterare.

Attamen invenias IV, 117 :

> *Hic* abbas elephas boreas primasque gigasque.

Ait in IV, 3-4 :

> Sed quia per sexum mulierum sive virorum
> Noscuntur, propria non est mihi dicere cura.

Invenitur tamen IV, 73 :

> *Hic* dat nomen in *an ;* testis fiet tibi Titan.

Animadvertendum est hos interpolatos versus præcipuè occurrere in etymologicâ parte Doctrinalis, et in capitulo de quantitate syllabarum, scilicet in longis verborum enumerationibus quæ locum addendi et supplendi relinquebant. In cæteris Doctrinalis partibus strictior regularum enuntiatio arctiorque orationis constructio hæc additamenta excludebat. Si tamen capitula de regimine et constructione, qualia exhibet antiquissimus codex A, cum textu cæterorum codicum conferas, in his sæpè exempla regulis addita esse invenias.

Plerumque interpolatores singulis locis unum aut alterum versum, sæpè etiam dimidiatum versum tantummodò addidisse videntur. 19 versus tamen interpolati sunt ante primum capitulum in codice Victorino, qui in bibliothecâ Galliarum,

olim regiâ, numerum habet 916. In VI capitulo de anomalis verbis versus 84-95 (*nil plus invenies — invenitur ai*) absunt ab antiquissimo codice A.

Suspicor etiam ultimos versus (211-179) duodecimi capituli non esse genuinos. Nam in his versibus agitur de figuris mentis quas tunc vocabant colores rhetoricos. Alexander autem ipse cùm in prologo totius operis :

> Tandem *grammaticas* pro posse docebo *figuras.*

tùm initio duodecimi capituli (1-2) :

> Pluribus est membris distincta *figura loquelæ :*
> Hæc sunt schema, tropus, metaplasmus...

profitetur se scribere de grammaticis figuris, nihil autem pollicetur de rhetoricis.

Genuinus ergo textus potius interpolatus quàm immutatus est. Nec prohibemur quin de operis summâ securi judicium ferre valeamus.

§ II. DE CONSILIO DOCTRINALIS.

Alexander in prologo ipse opus suum in duodecim partes dividit, quas glossatores vocant *capitula.* Hìc capitulorum conspectum exhibebo, numero versuum singulis affixo (1) :

> I. Voces in primis quas per casus variabis,
> Ut levius potero, te declinare docebo.

Omnes sex casuum terminationes per quinque declinationes

[1] Numerum versuum ex antiquissimo codice A exhibeo; mancos versus, ut spurios, omisi.

persequitur ; deinde agit de declinatione compositorum nominum , patronymicorum , et pronominum. — 312.

II. Istis confinem retinent heteroclita sedem.

Heteroclita genere , numero — singularia tantùm — neutra defectiva — pluralia tantùm — defectiva quartæ et quintæ declinationis—synonyma—89.

III. Atque gradûs triplicis collatio subditur istis.

Formatio comparativi , superlativi — de comparativis parisyllabis— conferenda ejusdem generis esse debent—40.

IV. Cuique sit articulo quæ vox socianda notabo.

Regulæ generales de generibus nominum , fluviorum , angelorum , volucrum, Barbarorum et Græcorum—nominum in a , e , i , o , al , el , il , ol , ul , um , an , en , in , on , ar , er , ir , or , ur , as , es , is , os, us , s post consonam, x.—180.

V. Ut tibi per metrum formatio præteritorum
Atque supinorum pateat , præsens lege scriptum.

Hanc formationem per quatuor conjugationes exsequitur. —De præteritis et supinis in deponentibus—240.

VI. His defectiva suberunt et anomala verba.

— 80.

VII. Verborum formas exinde notabo quaternas.

De formatione inceptivorum , meditativorum , desiderativorum , frequentativorum—24.

VIII. Hinc pro posse meo vocum regimen reserabo.

Nominativus. — Ille ludit[1]; nominor leo (4-9); — Ludovicus rex (10-14); — de evocatione (15-19); — de conceptione sive syllepsi (ego et tu valemus, Petrus et Paulus ludunt, pater et mater boni, virtus et vitium sunt contraria, distributiva) (20-48). — Prolepsis (49-50); — zeugma (51-52); — *est* subauditur (53); — ecce lupus (54).

Genitivus. — Liber Petri (59-61); — puer egregiæ indolis (61-67); — quod continet et quod contentum est (tunc temporis, duo dolia vini, tempus belli) (68-73). — Genitivus ex imperante et imperato (rex populi, minister regis) (74-75); — ex proximitate, contrarietate, genere (76-77); — avidus laudum (78-83); — ex auctore, causâ, effectu, identitate, materiâ, relativo, partitivo (84-99); — altissima arborum (100-04). — Ex consuetudine (105-08); — pretio, ætate, signo (109-112); — *uxor* aut *mater* subauditur (113-114); — possessiva (115); — vivorum memini (116); — interest regis (117-19); — est regis (120-23); — habitat Lugduni (124-29).

Dativus. — Est mihi liber (130-32); — similis patri (133-34); — mihi colenda est virtus (135-36); — id mihi utile est (137-39); — ex acquisitione (140-43); — hoc erit tibi dolori (144); — *huic* pro *ab hoc* (145); — præcipio tibi, scribo tibi epistolam (17-48); — obvius, heu, væ, (152); — contigit, libet, vacat (153-54).

Accusativus. — Os humerosque Deo similis (156-58); — doceo pueros grammaticam (159-73); — amo Deum (174-75); — vis exire penates (176-77); — me pœnitet culpæ (178-80); — verba accusationis et damnationis (181); — verba neutra et impersonalia (182-85); — verba quæ regunt duos accusativos (186-90); — verba quæ vestimentum, spatium, vivendi rationem significant (191-95); — obliviscor, memini, recordor, juvat, delectat, oportet (196-97); — te hortor ad legendum historiam (198-99); — *o, heu, per, in* (200-02); — quæstio *quò* (203-07).

Ablativus. — Doctior Petro (209-13); — ex excessu, instru-

[1] Regulas interdùm exemplis e Lhomondio desumptis designo, ut res citiùs intelligatur.

mento, mensurâ, materiâ, causâ, spatio, pretio, vivendi ratione (214-28). — Rex Galliæ Dei gratiâ (229-30). — Synecdoche (vultu virgo decora) (231); — ex ornamento, parte, proprietate, laude, causâ, defectu (232-45); — interest (246-48); — plenitudo et vacuitas (249-51); — dignus, potior, fungor, vescor, utor, careo (252-53); — de, præ, coram, super, (254-55); regimen passivornm (256-57); — verba quæ *recipere* et *abire* significant (258-59); —de ablativo absoluto (260-61); – questio *ubi* (262-67).

Enumeratio adverbiorum loci (272-76); — de formatione participii (276-89); — 289 versus.

IX. Quo jungenda modo constructio sit sociabo.

De constructione transitivâ, intransitivâ, et reciprocâ (1-20); — de debitâ formâ constructionis (21-27); — impedimenta hujus debitæ formæ: aptus facere, de verbis quæ regunt infinitivum, de verbis quibus statim præmittitur accusativus, de participio, de ablativo absoluto, de nominativo post verba substantiva, appellativa et passiva (28-47) — *quis, qualis, quantus, cujas, qui* etiam in obliquis casibus, verbis præponi debent (48-57); — *cùm, dùm, donec, quoniam* verbis præponi debent (58-59); — *iste, ille* obliquo casu *suo* in recto casu præponi debet (*isti* subveniet *sua* mater) (60-63). — *Est* subauditur (64). — Exceptiones a regulâ concordantiæ adjectivi cum substantivo (65-98); — de constructione antecedentis et relativi (99-113); — turba ruunt (114-121); — de demonstratione impersonali (122-23); — *visu cœcus* pro *visu carens* (124-26). – Negativa obliqua per *non* exponi debent (127-29); — constructio quæ nominativo caret (me tœdet vitii) (130-31); huic placet esse probo (179-33); — jungere consimiles debet conjunctio casus (134-35); — de constructione gerundivorum et supinorum (136-47); — de constructione vocum materialiter positarum (148-50); – de constructione præpositionis (151-59); — jungere non poterit conjunctio mobile fixo (160-61); —

quandò liceat conjunctionibus non uti (162-70) ; – de conjunctione *quàm* (171-73);— de relatione intrinsecâ et extrinsecâ (174–78) — 178.

X. Pandere proposui per versus syllaba quæque
Quanta sit, et pauca proponam congrua metris.

De pedibus, temporibus, hexametro et pentametro (11-34) ; — de litteris et sonis (35-57) ; — de positione (58-73) ; — de quantitate in derivatis et compositis (74-87) :—de quantitate in verbis (88-141) — de quantitate vocalis quàm alia sequitur (142-55) ;—de quantitate quinque vocalium in primis, mediis, et ultimis syllabis (156-67) — 676.

XI. Accentûs normas exin variare docebo.

De accentu secundùm recentiores ; — de accentu secundùm antiquos ; — de pausis et punctis ponendis — 80.

XII. De figuris grammaticis. —

De quibusdam figuris rhetoricis — 269.

Quarto decimo sæculo totum opus in tres partes divisum esse videtur, quarum prima septem prima capitula sive etymologiam, secunda capitula VIII et IX sive syntaxin, tertia tria ultima capitula comprehendebat.

Nullus tamen codex manuscriptus hanc divisionem exhibet. Eam invenias in statutis Facultatis artium Wiennensis anno 1389 confirmatis et in statutis universitatis Pragensis (cf. infra). — Libri quidam typis vulgati in quinto decimo sæculo tertiam et *quartam* partem Doctrinalis exhibent. Puto (libros enim ipsos non vidi) tertiâ parte capitula X et XI, quartâ autem capitulum XII contineri.

De numero versuum hoc notandum est, etymologiam scilicet longè pluribus versibus quàm syntaxin comprehendi. Porrò, cùm totum Doctrinale 2454 versibus contineatur, capitula de heteroclitis, de generibus nominum, de præteritis et supi-

nis, de verbis defectivis et anomalis, de quantitate 1267 versibus comprehenduntur. Scilicet opus ultra dimidiam partem aut in exceptionibus versatur, aut in iis quæ difficilius memoriâ retinentur.

In ipso autem opere nulla definitio, nulla divisio præceptis præmittitur. Declinationes auspicatur hoc versu :

Rectis *as es a* dat declinatio prima.

De conjugationibus nihil invenies. Auctor ablegat ad Donatum (VI, 1).

Donatum sequere per verba fruentia lege.

In syntaxi ipsâ nihil dixit de concordantiâ adjectivi cum substantivo, et verbi cum supposito, nihil de reciprocatione *sui*, nihil de usu temporum, ef ferè nihil de usu conjunctionum. Exceptiones tantùm et rariora persequi videtur.

Ubique regulas nudas proponit, sæpè etiam potius innuit quàm declarat, nullâ unquam explicatione adhibitâ, et exemplis vix additis.

Ipse monet in prologo operis (7-10) Doctrinale sine interpretatione pueris non esse proponendum :

Si pueri primo nequeant attendere plenè,
Hic tamen attendet, qui doctoris vice fungens
Atque legens pueris laïca linguâ reserabit,
Et pueris etiam pars maxima plana patebit.

Nec statim esse legendum (prolog. 26) :

Post alphabetum minus hæc doctrina legetur.

Hinc consequi videmur ista :

1°. Alexander noluit totam grammaticam Doctrinali comprehendere, sed præcipuè exceptiones, et ea quæ difficilius memoriâ retinentur, Lhomondius autem in partem reposuit quam vocat *supplément*.

2°. Non scripsit rudimentariis pueris, sed provectioribus discipulis qui primis elementis et Donati libello saltem jam essent imbuti.

3°. Noluit ipso libro solo adolescentes edocere, sed menti altiùs voluit infigere præcepta magistrorum de illâ infinitâ exceptionum multitudine, et memorialem quemdam librum scribere. Doctrinale omnino lexico proprius esse videtur quàm grammaticæ.

Cur autem operi suo titulum imposuerit *Doctrinale*, hoc versu :

Scribere clericulis paro Doctrinale novellis,

nec ipse disertis verbis declarat, nec glossatores apertè indicant. *Doctrinæ* quoque vocabulo opus suum designare videtur in prologo :

Quamvis hæc non sit *doctrina* satis generalis.

. . . .

Post Alphabetum minus *hæc doctrina* legetur.

Cùm tres tantum, ut suprà vidimus [1], ecclesiasticas disciplinas agnosceret, grammaticam autem *præcedere* et cæteris viam aperire censeret, ideo grammaticam ipsam ut imprimis ad *docendos* cætera pueros utilem *doctrinam* vocabat, opus autem de grammaticâ doctrinâ *Doctrinale* titulum præferre voluit [2].

Quâ occasione hunc librum scripserit Alexander indicare videtur his versibus prologi :

Jamque legent pueri, pro nugis Maximiani,
Quæ veteres sociis nolebant pandere caris.

[1] P. 13, nota 1.

[2] Multa poemata didactica medii ævi gallicâ etiam linguâ conscripta titulum habebant *Doctrinal*. Cf. Legrand d'Aussy, *Notices et Extraits des manuscrits de la Bibliothèque nationale* (V, 512 sqq.)

et :

Quamvis hæc non sit doctrina satis generalis,
Proderit ipsa tamen plus nugis Maximiani.

Maximianum istum obscœnum illum elegiographum esse non dubito[1]. In tractatu tertio labyrinthi, poemate quod in ultimis annis tertii decimi sæculi scriptum esse videtur, scriptor inter auctores, quos pueris proponendos[2] enumerat, Maximianum elegiographum refert :

Quæ senium pulsant incommoda maxima scribit,
Et se materiam Maximianus habet.

Antiquissimi glossatores Doctrinalis hunc ipsum Maximianum apertè designant[3]. Tropologicâ etiam interpretatione adhibitâ, Maximianus pueris parùm aptus erat. Alexander igitur, acerrimus antiquorum et paganorum scriptorum contemptor, Maximiani et cæterorum paganorum scriptorum opera novis carminibus ejicere voluit quæ de disciplinis ecclesiasticis scripta essent. Ideo Doctrinale et Ecclesiale conscripsit, et in Doctrinali præcipuè reposuit *ea quæ sociis veteres nolebant pandere caris,* scilicet subtiliores grammaticæ regulas, quas, cùm à Donato abessent, forsan Alexander putabat a veteribus grammaticis per invidiam, tanquàm arcana quædam, esse profano vulgo negatas.

[1] Cf. Wernsdorf, *Præfatio in elegias Maximiani (Poetæ minores*, éd. Lemaire, VII, 161, 170-171).

[2] Poema edidit Leyser, *Historia poem. med. æv.,* p. 796 sqq. Falsò Leyser opus Ebrardo Bethemiensi tribuit. Nec tractatus tertius ejusdem auctoris esse ac duo primi mihi videtur.

[3] Glossa N in versu 3 prologi : *Maximianus poeta viliter tractavit de luxuria.* Hæc eadem aut ferè eadem cæteræ glossæ. — Ne mireris tam obscœnum poetam in scholis fuisse prælectum, adi Wood, *Historia et antiquitates Universitatis Oxoniensis,* II, p. 4 : Concessum est Mauritio Byrchensaw ut doceret grammaticam, eâ conditione, ut centum carmina de nobilitate Universitatis contexeret, *Ovidium vero de arte amandi, Pamphilumque de amore in scholâ suâ legi non permitteret* (annum Wood non indicat).

Nunc ipsa Alexandri præcepta perpendamus, et inquiramus quos auctores secutus sit, qualem tradendis præceptis rationem adhibuerit.

§ III. DE AUCTORIBUS QUOS SECUTUS EST ALEXANDER.

Præter Donatum, cujus libellum de figuris grammaticis in ultimo capitulo Alexander ferè ad verbum expressit, nullius veteris grammatici in Doctrinali vestigia agnoscas. Priscianum enim non sequitur, ut asserebant jam in tertio decimo sæculo glossatores qui verba Alphabetum majus non intelligebant. Etenim, ut jam alii glossatores animadverterant (1), secunda et tertia pars Doctrinalis nihil cum Prisciano commune habent. In primâ autem parte ordo rerum planè est a Prisciano diversus, nec in istis regulis de generibus nominum, de declinationibus et heteroclitis Priscianum potius quàm alium quemvis grammaticum agnoscere est.

Imo suspicor Prisciani ipsum opus Alexandro vix fuisse notum. Nusquàm enim Priscianum Alexander citat, et in solo loco ubi aliquid ex Prisciano sumpsisse videtur, dicit *veteres*. Locum habes (IX, 28-30) :

> Infinitivum personæ sive quibusdam
> Des adjectivis, ut sunt habilis, piger, aptus,
> Hanc olim pulchram *veteres* dixêre figuram.

Hæc autem leguntur in Prisciano (XVIII, 4, 44) : Nominativis quoque adjectivorum et obliquis eorum *pulcherrimâ figurâ* conjungitur infinitum, ut *fortis bellare*.

Alexander ipse dixit in prologo Doctrinalis v. 2 :

> Pluraque *doctorum* sociabo scripta *meorum*.

[1] Cf. supra p. 18.

Hinc suspicor eum e scholasticis suis schedis, non autem ex veteribus grammaticis compilasse opus suum. Certè in prologo profitetur se recentiori cuidam auctori de præteritis et supinis adhærere, Petro cuidam, quem glossatores alii Rigensem, alii Blesensem esse volunt :

> Hinc de præteritis *Petrum* sequar atque suqinis.

Nec mirum hoc debet videri in tam acri veterum obtrectatore ; christianos grammaticos paganis anteponere debuit.

Hæc suspicio sequentibus firmabitur, ubi persequimur quæ propria fuerint Alexandri, aut suorum magistrorum præcepta.

§ IV. DE PROPRIIS ALEXANDRI PRÆCEPTIS.

A. ETYMOLOGIA.

In etymologià præcipuè grammaticæ provincia à provinciâ lexicorum non certis limitibus separatur. In generibus nominum, in præteritis et supinis, quædam vocabula eam similitudinem præferunt quæ ea in quasdam familias distribuere permittat ; permulta tamen nulli certæ familiæ aut generi videntur posse adscribi. Tum grammaticus lexicographi partes agit et de singulis usum notat, regulis omissis. Etymologia ex omnibus grammaticæ partibus maximâ curâ fuit elaborata a veteribus grammaticis latinis ; nec longius ab iis recentiores in medio ævo aberrârunt, cùm ferè omnia essent enotata, nec corrigendi locus esset. Multa Alexander vel potius interpolatores addiderunt de nominibus græcis quæ christianâ religione in usum adducta fuerant, cæteris planè omissis, et, propter ignorantiam hujus ævi, Græcam etymologiam Latinæ commiscent. Hebræorem quoque nominum, de quibns veteres grammatici nihil

egerant, declinationes et genera Alexander, ut clericus et clericis scribens, diligenter persequitur.

Vocabula autem, quæ ex novâ formâ reipublicæ vitæque privatæ orta, barbaram radicem latino casu vestiebant vix apud Alexandrum invenias. *Burgensis* tamen invenitur (IV, 150):

Est *hic* et *hæc* testis, civis, *burgensis*, et hostis.

Et *Sotular* (IV, 81):

Ponis nomen in *ar* neutrum. *Sotular* dat *hic* et lar.

Diamas (I, 117):

Elephas gigasque dat antis,
Et *diamas*, adamas.

Maneries (I, 287):

Progenies et *maneries* dic, materiesque.

Ruder pro *rudres* (IV, 84), *ceta* (IV, 47).

Jam hæc consuetudini latinæ contraria invenias: *virgo* utriusque generis (I, 75); *claustrum* pluralem dat *claustri* (I, 16); *lactis* pro *lac* in nominativo singulari (IV, 141); *paradisus* feminei generis (IV, 157); *soboles*, *hæreses*, *indoles* genitivum pluralem *um* dantes (1, 240); *pluo*, *plutum* (V, 104).

Pleraque tamen Doctrinale habet veterum regulis consona.

B. SYNTAXIS.

Veteres grammatici Latini multi fuerunt in etymologiâ; de syntaxi autem nihil ferè scriptum reliquerunt, nisi duos Priscianus libros de constructione, et hos quidem prorsùs mancos. Multa enim desiderantur. Recentioribus in syntaxi relinquebatur latior addendi locus majorque necessitas. Nam cùm linguâ vulgari docti etiam utuntur, congruitatem plerumque loquendi

et scribendi usus docet. Quòd si alia sit doctorum lingua, alia vulgi, tùm scientia opus est ut congruitas in usu servetur, scriptaque etiam doctorum intelligantur. Deficiente autem veterum grammaticorum auctoritate, Latinis auctoribus aut malè cognitis, aut parùm rectè expositis, aut etiam comtemptis, grammatici duodecimi sæculi in syntaxi à rectâ latinitate longius aberraverunt, cùm logicam tùm maximè florentem solam sequerentur, classicorum autem scriptorum usum nihil curarent.

Quod hodiè vocamus syntaxin, glossatores autem *diasyntacticam* vocabant, Alexander in duas partes seu duo capitula distribuit, quorum priore sub *regiminis* vocabulo complecti voluisse videtur quæcumque sensu imperfecto conjunguntur, posteriori autem sub *constructionis* nomine quæcumque sensu perfecto. Hanc divisionem non acerbè vituperabimus; nulla enim ferè divisio simul et naturæ rerum congrua et docendi commoditati satis apta esse potest.

In regimine, ut in etymologiâ, grammatica a lexicographiâ difficile separatur. Plerùmque enim usus potius quàm logica docet hunc aut illum casum ab hoc aut illo vocabulo exigi. Infinitum esset omnia proponere: multa et usitatissima Alexander collegit. Hæc autem in tradendi ratione præcipuè mihi animadvertenda esse videntur. In regimen nominativi syllepsin *pater et mater boni* reposuit, quæ tota est concordantiæ, non regiminis. Accusativo enim casu rectè diceretur: *patrem et matrem esse bonos prædico*. — Porrò jam, ut recentiores, ellipsin adhibet explicandis quibusdam idiotismis qui à syntheticâ latinæ linguæ naturâ derivantur. In *doceo pueros grammaticam*, subaudiri vult verbum *tradendo*, ut sic construatur: *doceo pueros tradendo grammaticam* (169-171):

> Doctrinam capiens regitur vi transitionis,
> Hocque gerundivum *tradendo* dic ibi clausum,
> Cujus vi regitur casus qui non variatur.

Sic et in ablativo qui pendet e comparativo (211-213):

> *Ditior est auro sapiens Salomone Sibylla*
> Per *magis* expone; regimenque videbis apertè.
> Est auro sapiens dives regina magis Salomone.

Jam igitur commoditas exponendi rerum veritati anteponebatur. — Quasdam constructiones proposuit quas ne per exceptionem quidem apud classicos scriptores reperias. Sic *Maria Jacobi*, subaudi *mater*; et *Dalida Samsonis* subaudi *uxor* (114); *Matthæum legitur* pro *Matthæus legitur* (186); *Vive Deum* pro *vive diviné* (195). Hoc quoque asserit de superlativo (102-103):

Iste gradus geminos quandoque regit genitivos;
Esse solet nemorum regum ditissimus ille.

Scilicet vinculum quo subjungitur verbo regenti verbum quod regitur vocabant *vim* regiminis, et ex *vi* hac aut illâ omnium regiminum rationem reddebant. In *amo Deum*, *Deum* regitur ab *amo* ex *vi transitionis*. Cùm superlativus regit duos genitivos, primus (*nemorum*) regitur à *divis ex vi naturæ,* secundus (*regum*) ex vi *superlativi* : ut construendum sit, secundùm glossatores : *iste rex dives est nemorum et ditissimus regum.* Sic quæ facilè in grammaticâ explicabantur non incongrua esse judicabantur. Pleraque tamen exempla in hoc capitulo collecta à veterum usu non abhorrent.

In capitulo de constructione maximè animadvertenda sunt quæ auctor scribit de formâ constructionis quam glossatores vocant *debitam*. Verba ipsius Alexandri proponam (21-27):

Construe sic: Casum, si sit, præpone vocantem;
Mox rectum pones; hinc personale locabis
Verbum; quod primò statues, si cætera desint;
Tertius hinc casus et quartus sæpè sequuntur,
Aut verbo subdes adverbia. Subde secundum
Casum rectori. Debet vox præpositiva
Quarto præjungi, vel sexto quem regit ipsa.

Præiverat Priscianus (XVII, 16, 105): « sciendum.., quòd « recta ordinatio exigit, ut pronomen vel nomen præponatur verbo, ut, *ego et tu legimus*, *Virgilius et Cicero scripserunt;* quippè cùm substantia et persona ipsius agentis vel patientis, quæ per pronomen vel nomen significatur, prior « esse debeat naturaliter quàm ipse actus qui accidens est

« substantiæ. Licet tamen et præposterè ea proferre, aucto« rum usurpatione fretum. » Hæc semina à Prisciano jacta à magistris logicis duodecimi sæculi exculta fuerunt, et indè orta est illa debita constructionis forma quam Alexander tradit [1]. Hinc sequitur quidquid alio ordine construatur inter exceptiones esse referendum, et, ut glossatores dicunt, *impedimentum* esse debitæ constructionis; ut omnes ferè constructiones quas auctores classici usurpant tot sint figuræ. Ipse Alexander constructiones quas enumerat (28-63) ut exceptiones habere videtur. Sic *sum bonus* exceptio est, quia rectus post verbum ponitur (44-45):

Appellans verbum, substantivumque, vel horum
Vim retinens post se rectum quandoque locabunt.

Quem hominem quæro? exceptio est quia accusativus verbo præponitur (50):

Obliquos verbo præjunges missa rogando.

Alio tamen sensu *construere* vocabant constructionem auctoris resolvere et in *ordinationem illam debitam* redigere, quod dicimus vernaculo sermone: *Faire la construction*; Despauterius vocat *ordinem declarationis grammaticæ* [2]. *Construere* persæpè hoc sensu tùm ab Alexandri glossatoribus [3] tùm a multis aliis medii ævi scriptoribus [4] usurpatur.

[1] Nihil tamen simile legere est in *Grammaticâ speculativâ* Scoto tributâ. Scotus vocabulo *constructione* et regimen complectitur (ed. Lugd., I, p. 69). Alexandri constructionem vocat *perfectionem sermonis* (p. 75), nihil autem de illo debito ordine tradit.

[2] Ed. Steph., p. 349.

[3] Exempli gratiâ legitur in glossâ B ad hunc versum (VIII, 15):

Ternæ personæ generaliter omnis habetur rectus.

Construe sic : Omnis rectus habetur generaliter rectus tertiæ personæ.

[4] In statutis cujusdam Anglici capituli (a. 1398), præcipitur ut præsul *sciat bene legere, bene construere et bene cantare* (Warton, *History of English poetry*, ed. 1778, II, 429). — Hinc Joannes Jannensis in Catho-

Plura in his duobus capitulis de regimine et constructione Alexander de syntaxi collegit quàm ullus antea vetus grammaticus. Pleraque autem usu scriptorum antiquorum satis congrua, paucis exceptis [1], quæ tamen Alexander non disertè imitationi proponit, interdùm prohibet [2], et tantummodò ad meliorem scriptorum intelligentiam tradebat.

C. DE QUANTITATE.

Inter capitulum quod Alexander condidit de arte versificatorià et veterum grammaticorum opera hoc præcipuè interest, quòd scilicet veteres grammatici de metris prolixè egerint, quantitatem non nisi per occasionem et passim tetigerint; Alexander autem de hexametro et pentametro tantùm loquatur quæ sola suo tempore in usu erant, quantitatem autem syllabarum fusè et uno tenore tradiderit, quæ jam arte, non usu erat discenda. Hoc igitur Alexandri capitulum primum exemplum est horum scholasticorum librorum quos vocamus *prosodies*. In quantitate tradendâ Alexander à veterum con-

lico scribit de constructione : « Constructio perfecta quam Græci sinthesim « vocant valet ad *omnium auctorum expositionem.* » — Cf. Erasmus, opp. Lugd. Batav., V, 121, c.

[1] His quæ supra notavimus paucissima addenda sunt logicæ barbarie exempla. Sic (VIII, 114) non prohibet : *Animal capra currit;* et (IX, 162-170) quærit *an homo et risibile currunt* congrua sit locutio.

[2] Cf. IX, 113 :

Sed non est nobis imitanda relatio talis.

Et IX (120-121) :

Utraque formosæ me judice sunt venerandæ.
Sed non est talis constructio congrua nobis.

suetudine plerumque non aberravit, si græca vocabula excipias [1].

Ordinem autem alphabeticum quemdam secutus est, nam quantitatem quinque vocalium in primis, mediis et ultimis vocabulorum syllabis persequitur [2].

D. DE ACCENTU.

Capitulum de accentu, exceptis versibus *de pausis et punctis ponendis*, in duas partes diversissimas dividitur. Priore (1-53) Alexander præcepta recentiorum de accentu, posteriore (14-73) præcepta veterum tradit quæ planè alia erant.

De posteriore parte nihil dicam, quum notas præcipuasque tantùm regulas breviter complectatur, quas ipse Alexander desuetas et obsoletas dicit (14-55):

> Accentus normas legitur posuisse vetustas :
> Non tamen has credo servandas tempore nostro.

Et postquàm has regulas exposuit, in versu 71 :

> Noster non penitus has normas approbat usus.

Quæ autem præcepta ut usu consentanea tradit, hìc exhibebo.

Tres accentus enumerat : acutum, gravem, *moderatum*,

[1] Hæc invenias in libro X :

> E super e brevis...
> Sic et heritis, herus, *heresis.*
> *Monos* longam credo brevemque.
> Sed breviare *protos* et ab illo sumpta solemus.
> E super *m* longa; vehemens *eremus*que retracta.

[2] Despauterius, in arte versificatorià, Alexandri ordinem secutus est.

qui inter acutum gravemque medius est, et sæpè ab ipso *accentus* tanquàm per excellentiam vocatur [1]. Circumflexum ut desuetum ejicit. Habes versus (2-8) :

> Est gravis accentus, et sunt moderatus, acutus,
> Et circumflexum multi tenuêre priorum.
> Hic gravis est qui deprimitur, nec tendit in altum.
> Ut gravis incipiet, sed in altum tendit acutus;
> Atque gravis medius et acuti fit moderatus.
> Est circumflexus gravis in primo, sed in altum
> Tollitur, inque gravem recidit; sed cessit ab usu.

Accentus moderatus non ponitur nisi in penultimâ, et antepenultimâ, acutus autem non nisi in ultimâ ; gravem accentum recipit omnis syllaba quæ caret utroque (versus 9-10 et 13):

> In primis mediisque modò regimus moderato
> Voces accentu; finis regitur sub acuto.
> . . . .
> Datque gravem jure quæcumque carebit utroque.

Jam regulas generales habes, dein exceptiones, mox regulas quasdam peculiares.

1°. versus 15.

> Accentum tibi vox monosyllaba reddit acutum.

2°. Omnis vox disyllaba in priori syllabâ moderatum accentum recipit (28-23) :

> Dictio, cui tantùm est duplex syllaba, servat
> Accentum supra primam, sit longa brevisve.

3°. In polysyllabis, si penultima longa sit, in hâc ipsâ pe-

[1] Accentus quem Aristoteles vocat μέσον (*Poet.*, c. 20, Rhet., III, 1.) *circumflexus* idem a posterioribus vocatur. Cf. virum doctissimum Egger (*Traité de l'accentuation grecque*, p. 4, 5), cui de accentu circumflexo ommino adstipulor.

nultimâ sedet accentus moderatus ; si brevis sit, moderatus accentus in antepenultimâ locatur (40-43) :

Accentum servat polysyllaba vox super illam
Quæ præit extremam, si longa sit hæc; aliter non.
Si brevis est, sedet accentus super antelocatam.

Jam habes exceptiones : voces conjunctivæ aut præpositivæ gravantur (16-17). — Ultima acuitur in indeclinabilibus *ergò*, (pro *causâ*), *circùm*, *putà*, *ponè*, *alius*, et in adverbiis quæ à pronominibus derivantur (24-27). — *Facit* et *fit*, servatâ vocali, servant accentum in compositis (44-45). — In antepenultimâ moderatum accentum, licèt penultima sit longa, recipiunt adverbia *aliquandò*, *siquandò*, *perindè*, *deindè*, *deintus*, *delonge*, *deinceps*, *seorsùm*, *deorsùm* (46-49).

Jam habes regulas peculiares : nomina hebræa in ultimâ acuuntur in recto, in obliquis regulam sequuntur (50) :

Barbarus *el* acuit ; obliquis regula servit.

Moderatus accentus attrahitur in ultimam syllabam vocis quam sequitur enclitica (34-35). — Vox contracta accentum servat quem reciperet perfecta (36-39). — Interrogatio accentum in ultimam trahit (52). — Græca accentu latino proferuntur (53).

Hæc igitur tria intersunt inter præcepta Alexandri et præcepta veterum :

1°. Circumflexus ab Alexandro reprobatur. Eum acutus in monosyllabis, moderatus in disyllabis excipit.

2°. Regulæ quas veteres tradebant de acuto in disyllabis et polysyllabis ponendo, ad moderatum accentum omnes ab Alexandro transferuntur.

3°. Accentus acutus in ultimis syllabis apud veteres quasi per exceptionem, apud Alexandrum per regulam generalem ponitur.

Glossatores omnes hæc Alexandri præcepta, tanquàm usu consentanea, enarrant, nullâ objectione interpositâ. Johannes tamen Januensis in Catholico Alexandri opinionem de accentu in nominibus hebræis citat et approbat, Prisciani autem re-

gulas de accentu tradit, de accentu moderato nihil prorsùs dicit. Liber autem Prisciani de accentu ordinariè prælegebatur in studio Parisiensi anno 1254 [1].

Ante Alexandrum nihil de moderato accentu invenire potui. Hæc præcepta tam diversa a præceptis veterum ex ecclesiastico cantu profecta esse crediderim [2]. Quum ab initio quarti decimi sæculi Alexander ferè unica grammaticæ doctrinæ auctoritas haberetur, præcepta ejus de accentu observata sunt in cantu ecclesiastico, forsan quantum ferebat musica [3]. Præceptum de nominibus hebræis in ultimâ acuendis usque ad septimum decimum sæculum, reclamantibus grammaticis, in ecclesiastico cantu permansit [4].

E. DE FIGURIS.

Capitulum de figuris in duas partes dividitur : priorem de figuris grammaticis, posteriorem de quibusdam figuris rhetoricis quas *colores rhetoricos* tum vocabant [5].

Libellum Donati de figuris grammaticis Alexander diligenter expressit. Addidit tamen diversarum cæsurarum definitiones et nomina, *pentimemerim*, *eptimemerim*; quod sanè melius in

[1] Cf. supra p. 6, not. 1.

[2] Hæc lego in cursu philosophico Livii Rabesani, Minoritæ (Venetiis, 1665), I, 112 : Circumflexus est syllabæ inter extensionem (per acutum) et remissionem (per gravem) *moderata* prolatio; ut *in cantu quem firmum appellant*.

[3] Despauterius, præfatio libri de accentu : Senes valdè indignantur dedoceri, et contra suum abusum aliquid a nobis dici ferunt ægerrimè. Nusquam verò tam insigniter errant quàm in accentibus... Nolim ecclesiasticum cantum immutari... — Panzerus indicat : Tractatulus de accentibus quarumdam dictionum in psalterio secundùm Alexandrum in tertiâ parte. Lipsiæ, 1492.

[4] Cf. Méthode latine de Port-Royal (Paris, 1761), p. 740.

[5] Sic vocat Joannes Jannensis et alii.

capitulo de quantitate esset repositum. Brevem syllabam produci vi cæsuræ initio tertii pedis, sive pentimemerim ut licitam ducit, quam tamen rariùs antiqui poetæ usurpabant (83):

> Sed pentimemeri solummodò nos decet uti.

Contra quod veteres sæpissimè usurpant *elipsin*, scilicet, sive elisionem consonæ *m*, et *synalepham* sive elisionem vocalium fieri vetat hoc versu (74):

> Viles sunt istæ præ cunctis et fugiendæ.

Itaque quod ex scriptorum classicorum consensu licitum est vetat; quod autem vetitum laudat.

Barbaras metri formas, sed medio ævo usitatissimas, Alexander inter licita retulit sub titulo *omoleuti* [1] (vers. 122-24):

> Cùm plures voces sub fine tenentur eodem,
> *Omoleuton* erit. Huic *consona* carmina subdis,
> Atque *leonina* simul et *caudaria* jungis.

Inter colores rhetoricos, pluralis mumeri usus memoratur tanquàm urbanus (335-36):

> Dicitur esse *lepos* sermo directus ad unum
> Utens plurali, velut hic, *nostis, bone præsul.*

§ V. DE DICENDI GENERE ET METRICA FORMA.

Ut æquum judicium feramus de oratione et metricâ formâ quibus Alexander usus est in Doctrínali, meminerimus necesse est poema technicum plane diversum esse a poemate didactico. Nam didacticum carmen et docere et delectare debet.

[1] *Omœoleleuton* dicendum esset. Sed Alexander hæc græca nomina persæpè corrumpit, sive ignorantiâ, sive necessitate metri.

Technicum autem carmen non solùm non ad delectandum comparatum est, verùm etiam ne ad docendum quidem; sed non alium finem habet quàm quæ prius didicerimus memoriæ altiùs infigere. Artificia autem dicendi quæ planè horrida absona et barbara videntur, sæpè sunt utilissima memoriæ. In his igitur operibus brevitas præcipuè affectanda est, quæ quàm minimè a luciditate et sermonis puritate abhorreat. Nam in technicis carminibus nec interpretationis necessitatem removere, nec leges grammaticas semper observare possis.

Oratio Alexandri brevitate maximè commendabilis esse nobis videtur, præcipuè in syntaxi; satis lucida est; sed sæpè Alexander aut verbis apud antiquos inusitatis utitur, aut latina vocabula a proprio sensu detorquet.

Quod metricam attinet, in quâ maxima licentia technicis scriptoribus conceditur, Alexander quantitatem plerumque servat, sed propriorum præceptorum observantissimus, elisionem *m* et vocalium ubique vigilantissimè exclusit, pentimemerim sæpissimè sibi indulsit. Leoninâ consonatione plerumque usus est, quæ illorum temporum consuetudine erat recepta, et in longis verborum enumerationibus memoriæ utilis esse possit.

§ VI. QUID DE DOCTRINALI SIT SENTIENDUM.

Quod inventionem attinet, Alexander pleraque veterum præcepta collegit, multa de nominibus hebræis addidit, in capitulis de syntaxi et quantitate plura quàm ullus anteà grammaticus collecta tradidit, ut hæc capitula tanquàm recentiorum operum fundamenta haberi debeant. Si totum opus intuearis, non tam multa præcepta barbara esse reperies.

Rerum dispositio parùm lucida est in primâ parte sive etymologia. Sed in hâc parte quid interpolatores, quid Alexander ipse peccârit haud facilè discernes. In capitulis autem de syntaxi et quantitate res ordine satis commodo disposuit.

Elocutio technica est, id est, necessariò et obscura et inelegans. Oratio certè barbarorum temporum rubigine infecta fesit. Brevitate tamen et simplicitate quâdam commendabilis est. Nam si Alexander stolidum antiquorum contemptum barbarismo et improprietate expiavit, non tamen putidas translationes affectat, ut tot hujusce ævi scriptores. Si Alexandrum cum recentioribus Despauterio et Mancinello conferas, istos quidem castigatiores, nusquàm autem Alexandro aut breviores aut lucidiores aut venustiores esse agnoscas.

Doctrinalis igitur vitia alia temporum, alia autem ipsius Alexandri esse fatendum est. Nam antiquos scriptores legere poterat, et contempsit. Hoc tamen excusandus esse videretur, quòd Virgilium in carmine technico non imitari posset. Cæterùm non omnino despiciendus est poeta technicus qui res ordine commodo dispositas brevi oratione describit[1].

[1] Humaniorum litterarum studiosi non Alexandrum ipsum magis quàm ineptos fautores oderant. De ipso enim Alexandro non tam iniquè sentiebant. Cf. Erasmum (opp. Lugd. Batav., I, 514, F), et Despauterium, ed. Steph., p. 180, 182.

PARS POSTERIOR.

DE FORTUNA DOCTRINALIS.

Fortuna Doctrinalis in duas ætates distribui potest. In priore, ab anno 1250 usque ad annum 1450, Doctrinale per omnes Europæ scholas propagatum quietâ et Aristotelicâ auctoritate vigebat; in posteriore, ab anno 1450 usque ad annum 1550, renascenti latinitate, primò correptum, deinde correctum, tandem sublatum fuit.

PRIOR ÆTAS 1250-1450.

§ I. DE USU DOCTRINALIS IN SCHOLIS EUROPÆ.

Circa annum 1274[1], scribebat Henricus Gandavensis de Doctrinali: « Libri in scholis grammaticorum magnus est usus tem- « poribus hodiernis. » Glossatores O, N, V, iisdem ferè verbis

[1] Cf. supra p. 7, n. 3.

Doctrinale laudant : « non est mirum si legitur iste liber in « quo compendiosè tractatur quod erat primitùs dispendiosum « et confusum, in quo ordinatè traditur quod erat primitùs in- « ordinatum, ita quod sub luce tradatur quod erat primitùs nu- « bilosum ; in quo potest capi facilè quod nonnulli capere des- « perabant. Cùm ergo tam venusto, tam lucido, tam perutili in « hoc libro pervulgetur grammatica, ipsum non immeritò arbi- « tror consulendum ad cognitionem artis grammaticæ plenio- « rem... quæ viam præparat per quam facilior fit accessus ad « reliquas facultates[1].» Multùm ad libri propagationem contulit quod versibus descriptus esset. Glossa O : « metricus (sermo) « universalis est ad faciliorem acceptionem, ad venustam « et lucidam brevitatem, ad memoriam firmiorem. Quod patet « sequi ex definitione versûs quæ sequitur : versus est metrica « oratio succinctè et clausulatim progrediens, venusto ver- « borum apparatu et sententiarum flosculis picturata, nihil in « se superfluum nihilque continens diminutum[2]. »

Priscianus in studio Parisiensi in lectiones ordinarias fuit præscriptus annis 1215[3], 1231[4], 1254[5]. Post annum 1254 nullum jam Prisciani vestigium apparet. Et legimus in reformatione factâ anno 1366 : « scholares antequàm ad deter- « minandum in artibus admittantur, congruè sint in gramma- « ticâ edocti, et *Doctrinale* et Græcismum audiverint ; dum- « modò in studiis aut aliis locis ubi grammaticalia didicerint

[1] Glossa etiam V (f° 13 verso) : Illa quæ Priscianus abstrusè et confusè tradidit, ipse (Alexander) lucidè et metricè manifestat. Nam sermo metricus quem iste actor sequitur ad plura valet quàm sermo prosaïcus quem sequitur Priscianus.

[2] Glossa V tribuit hanc definitionem Matthæo Vindocinensi (f° 13 verso).

[3] Cf. supra p. 5, n. 1.

[4] Bulla Gregorii IX data anno 1231 : Magistri artium unam lectionem de Prisciano, et unam post aliam ordinariè semper legant (Bul. III, 142).

[5] Statutum Artistarum : In festo annunciationis... Priscianum majorem et minorem... terminare teneantur (magistri) (Bul. III, 280).

« dicti libri legantur [1]. » Eadem anno 1452 ferè ad verbum repetit Tutavillæus [2].

Communis linguæ latinæ usus et religiosa totius Europæ societas Doctrinalis usum per cæteras Europæ partes propagavit, ordinibus forsan mendicantium circumferentibus [3]. Legitur in statutis Facultatis artium Universitatis Wiennensis anno 1389 confirmatis : « (promovendus ad gradum baccalariatûs in artibus) debet audivisse ubicumque completè et sine « dolo libros infrà scriptos : *primam et secundam partem Doctrinalis*, secundam partem Græcismi, unum librum in rhetoricâ... » [4]. Inter libros qui in Universitate Pragensi ordinariè legendi præscribuntur, invenimus secundam partem Doctrinalis cui legendæ duo menses assignantur [5]. In Italiâ, Beccarius, poeta Ferariensis, in cantico quod de morte Petrarchæ anno 1379 conscripsit, fingit grammaticam Petrarchæ exsequias obeuntem, et inter ejus comites Doctrinale reponit [6]. In Universitate Tolosanâ, statuto anno 1328 lato, Doctrinale lectionibus grammaticorum assignabatur : « In æstate loco Priscinai « majoris de mane legant de regimine et de constructione, et « postea unam lectionem Doctrinalis de declinationibus a principio inchoando, et continuando a principio Alexandri [7]. »

Ex statutis universitatum suprà laudatis et glossis Doctrinali

[1] Bul. IV, 390.

[2] Bul. V, 573.

[3] Jam anno 1569 Jesuitæ Despauterium in academiam Taurinensem attulerant (Tiraboschi, VII, 1, 133).

[4] Kollar, *Analecta monumentorum Vindobonensia*. I, 227.

[5] Adauctus Voigt, *Versuch einer Geschichte der Universital zu Prag*, p. 99 (apud Ruhkopf, *Geschichte des Schul-und-erziehungs-Wesens in Deutschland*. (1794). p. 200).

[6] Rime di Petrarca (Pisa, 1805), II, 340 :

Grammatica era prima in questo pianto,
E con lei Prisciano, ed Ugoccione,
Papia, Gricismo, e *Dottrinale*.

[7] Statuta Universitatis Tolosanæ msta. (in Bibliothecâ olim regiâ. Veteris fundi 4222, p. 62). Cf. ibid., p. 69 verso.

adscriptis [1] patet Doctrinale provectioribus pueris tanquàm medium inter Donatum et organon Aristotelis propositum fuisse, et simul cum summulis Petri Hispani, compendio quodam logico, fuisse prælectum. Dictante magistro, textum et glossas disciputi exscribebant, versusque memoriter ediscebant [2].

§ II. DE GLOSSIS DOCTRINALI ADSCRIPTIS.

Cùm Doctrinale sine commentario proponi non posset, nullus ferè hujus operis codex manuscriptus invenitur, cui non commentarii, sive, ut tunc dicebant, *glossæ* [3] adscriptæ sint. Glossæ autem istæ in codicibus diversissimæ originis mirum in modum consentiunt, sive in rebus, sive etiam in verbis. In codicibus A, O, B, V eadem iisdem ferè verbis repetuntur, ut glossas istas ab eodem fonte derivari credamns. Quis autem sit auctor? hoc planè est incertum [4]. Glossæ quas adire potui nullum auctoris nomen præferunt.

In glossis istis præmittitur Doctrinali prolixa disquisitio cùm de omnibus disciplinis, tùm de definitione et divisione grammaticæ. Dein quærunt causam materialem, formalem efficientem et finalem Doctrinalis.

[1] Glossa B in primum Doctrinalis versum :

Scribere clericulis paro doctrinale novellis.

« Novellis clericulis, id est, novellis scholaribus, non omnino rudibus » nec omnino provectis, scilicet mediocriter introductis. » Hæc eadem ferè iisdem verbis omnes glossæ repetunt.

[2] Sic enim ferebat et diu tulit scholarum consuetudo. Erasmus (opp. Lugd. Batav., I, 703; I, 514, E).

[3] De sensu hujus vocabuli adi Savigny, *Histoire du Droit romain au moyen-âge* (III, 394-967), et imprimis p. 395, n. c.

[4] *Glossator* quidam *Pictaviensis* citatur in glossâ N ad versus 26-28 prologi Doctrinalis, et in glossâ B ad VIII, 178-80. Henricus Andelius

Prologum ipsum Doctrinalis ut poema enarrant. Notant quàm scitè auctor decorum observaverit, scrutantur ejus mentem. Sic glossator V adnotat secundo versu :

Pluraque doctorum sociabo scripta meorum.

Evitat arrogantiam.

Capitula in minutas partes secant, quarum unaquæque regulam et exempla complectitur. Initio cujusque capituli, ordinem præcipuarum partium prolixè explicant, et initio cujusque partis ordinem regularum. Hæ divisiones semper fiunt per regulas logicas. Glossæ conantur exponere quomodo species post genus posita sit, *minus principale* post *magis principale*, etc. Textus ipse Alexandri vocatur *littera*.

In capitulis de etymologiâ, quantitate et accentu glossæ textum pluribus verbis explicant, versus *construunt*, id est [1], verba auctoris in *ordinationem* illam *debitam* redigunt, exempla aliquot adducunt, sed ad declarandam regulam ficta, nunquàm ex antiquis auctoribus petita. In his capitulis glossæ *paraphrasin* quam vocant planè referunt.

In capitulis de regimine et constructione glossæ eumdem ordinem sequuntur, sed plures quæstiones addunt quæ sanè in scholis agitabantur. Quæstiones sæpè a logicâ proficiscuntur, et istis solvendis semper logica, nunquàm antiquorum scriptorum usus adhibetur [2]. Sic in *annulus auri*, genitivus *auri* non

statim post versus de *barbarismo* quos allegavimus supra (p. 6, n. 1), hos ponit :

Par trahison estoit tornez,
Por ce qu'il *ert de Poitau nez.*

Doctrinale forsan apud Pictavienses primò glossatum est? Sed nihil certi de hoc affirmare ausim.

[1] Cf. supra p. 37, n. 3. *Construere* proprium erat *glossæ;* cf. Savigny, *loc. cit.*

[2] Ludovicus Vivès, *de Causis corruptarum artium*, lib. II (ed. Basil., I, p. 364). — Erasmus (I, 514, E.) — *Grammatica speculativa* sive de *modis significandi* quæ Johanni Duns-Scoto tribuitur (Joh. Duns-Scoti opera ed. Lugduni. 1639, f° 1, 45-76).

regitur e consuetudine auctorum, sed *ex vi demonstrationis essentiæ*. In *amator vini* genitivus regitur *ex vi actûs conversi in habitum*. Et sic in toto capitulo de regimine, regimen explicant ex vi hujus aut illius abstractæ notionis[1]. De his versibus (VIII, 249-251) :

> *Plenus inops* casum dant istum sive secundum :
> *Vini vel vino duo dolia plena videto.*
> *Pauper egenus inops vino vel panis egebit.*

In B disseritur in utramque partem sic : « Quòd hoc non « possit esse probatur. 1°. Oppositorum oppositi sunt effectus ; « sed plenitudo et vacuitas sibi opponuntur. Ergo nomina et « verba significantia plenitudinem et nomina et verba signifi- « cantia vacuitatem nullo modo poterunt habere eamdem « constructionem... 2°. Nomina et verba signantia vacuitatem « nihil ponunt et nihil signant, quia vacuitas nihil est. Sed « genitivus est et semper ponit aliquid. Sed ponere aliquid et « nihil ponere sunt duo opposita. Ergo vocabula signantia va- « cuitatem cùm nihil ponunt, nullo modo poterunt conjungi « cum genitivo... — Ad primum dicendum est quòd... non « constructio causatur a significatione sed a modis significandi. « — Ad secundum dicendum est quòd, licèt talia nihil ponant « in modo significandi, tamen in re videmur aliquid ponere...» In VIII, 201 eadem glossa B asserit præpositiones latinas cum accusativo et ablativo tantùm conjungi, quòd *præpositio reducat casuale ad actum, et duo sint casus actuales tantùm*, scilicet accusativus et ablativus[2].

In capitulo de figuris, glossæ per singulas figuras persequuntur figuræ definitionem et etymologiam, improprietatem (nam ex definitione tum solita figura est vitium ratione excusatum), causam cur potuit fieri, causam cur oportuit

[1] Erasmus, I, 514, E. et Despauterius (ed. Steph., p. 349).

[2] Præiverat Priscianus. Quærit enim (XVII, 8, 54) *quare in pronomine non concedebatur personis magis terminatio, quemadmodum in verbis, quàm principium*. Cf. XVII, 12, 75.

fieri. Habes exemplum ex glossâ N in hanc *litteram* (102-103) :

> Reddis, Ypozeusis, personæ plurima verba :
> *Vivi nos mundet, nos salvet gratia Christi.*

« Ypozeusis est figura zeugmati contraria ubi singula verba « singulis clausulis conjunguntur... et dicitur ab *ypo* sub et « *zeusis* vinctio quod subvinctio, quòd cuique clausulæ unum « verbum adjungitur. Vel dicitur ab *ypos* contra et *zeugma*, « quod contra zeugma,... quòd fiat contraria zeugmati, quia in « zeugmate unum verbum diversis clausulis adjungitur, in « ypozeusi diversa verba diversis clausulis subjunguntur. — « Improprietas est in hoc, quòd diversæ orationes in sermone « ponuntur sine conjunctione mediâ, cùm sermo debeat esse « continuus et non corruptus, vel alia est improprietas, eo « quod plures actus ad eamdem substantiam pertinere notan- « tur. — Causa autem cur potuit fieri est quòd per distinctio- « nem clausulæ a clausulâ et orationis ab oratione suppleatur « quodammodo copulativa conjunctio. — Causa cur oportuit « fieri est necessitas exprimendi sententiam.... cùm diversi « actus possunt alicui substantiæ inhærere secundum prius et « posterius, necesse fuit hoc signare per talem sermonem. » Quæritur in glossâ N circa epitheton, *cur epitheton fiat ex appositione communis ad proprium, cur habeamus figuram magis ex appositione communis ad proprium quàm communis ad commune*, etc.

Itaque eadem glossarum ratio erat in Alexandro et Aristotele. Nec minor erat in grammaticâ Alexandri auctoritas, quàm Aristotelis in philosophiâ. Nec grammaticæ tantùm Alexandrum unicum auctorem habebant, verùm poetices etiam et rhetorices. Omnia ab ipso petebantur [1].

[1] Hermannus Buschius, *vallum humanitatis* (Coloniæ, 1518, tomus quartus) : (Dialecticæ) penè uni se perpetuò devoverunt (isti philosophorum phormiones) adeo, ut etiam grammaticen, nisi Alexandri, nullam omnino sciant. — Idem ibid. (tomus tertius) : Quomodo quidam poetriam (sic enim aiunt isti barbari barbarè loquentes) et artes puritatemquo linguæ vituperent, et tantùm ab illis grammaticis Alexandro et Eberhardo *omnia peti velint*, plus quàm notum est.

POSTERIOR ÆTAS 1450-1550.

Iisdem temporibus quibus Doctrinale in scholis tam imperiosè dominabatur, circa annum 1340 Petrarcha doctos homines ad antiquos scriptores revocabat, novamque latinitatis formam proferebat. Lux illa quæ primùm Italiæ affulsit, in ultimis quinti decimi sæculi annis in Germaniam, deinde in Flandriam, Galliam, Angliam et Hispaniam irradiavit, cùm Alexandri ipsius tùm præcipuè glossarum [1] barbariem manifestam fecit, novaque grammaticæ compendia excitavit, quibus Alexander a scholis expulsus est. Sic iisdem temporibus, ut religiosa Europæ communio dissolvebatur, ita rupta est grammaticalis totius Europæ societas, et gens quæque suas grammaticas habuit, nec, ut antea, pontifici uni, grammatico uni Europa paruit.

§ I. ITALIA.

In hâc Italiâ, humaniorum litterarum sede et patriâ, in quâ pura latinitas studio sæpè tam fastidioso quærebatur, Alexander tamen in scholis diù regnavit. Guarinus Veronensis, qui magnâ celebritate docuit ab anno 1405 usque ad annum 1450, Doctrinalis capitula de præteritis, generibus nominum,

[1] Alexandri certè *littera* longè melior erat quàm glossæ. Buschius, *vallum humanitatis* (Coloniæ, 1518, tomus octavus) : (Infeliciter natis adolescentibus) nullas meliores litteras quàm Alexandri Doctrinale, et in illud ipsum nescio cujus *insulsioris adhuc quàm est ipse Alexander*, glossam notabilem, quam rectius multò cacabilem quis dixerit, videre sive discere aliquid contigit.

declinationibus et quantitate memoriter ediscenda pueris proponebat [1]. Ludovicus quidam de Guaschis, *doctor artium*, Doctrinale correxit, novâ glossâ instruxit, liberque Mediolani 1481, et Venetiis eodem anno, et postea sæpè editus est [2].

At Laurentius Valla, sex libris elegantiarum latinarum circa 1471 editis, magistros docuit grammaticæ præcepta petere ab optimorum auctorum usu. Nicolaus quoque Perottus, archiepiscopus Sipontinus, ad usum magistrorum cornu copiæ sive commentarios linguæ latinæ, et ad usum etiam puerorum grammaticæ latinæ usitatissimum compendium conscripsit. Hic liber primùm Romæ prodiit anno 1473 sub titulo : *Rudimenta grammaticæ.* Rudimenta illa in omnibus ferè Italiæ urbibus typis expressa sunt usque ad decimum sextum sæculum [3]. Hæc elementa pedestri sermone conscripta erant, quæ novitas quoque approbata est [4]. Antonius Mancinellus tamen in opere circa 1491 edito, cui titulum fecit *spicam quatuor voluminum* [5], complexus est hexametris regulas de declinationibus, generibus nominum, præteritis et supinis. Scribebat illi Antonius Illuminatus : « abeat jam barbarus Alexander, et « barbaram cum suâ barbarie repetat patriam. »

Nec revera in sexto decimo sæculo Doctrinalis vestigia in Italiâ reperies præter unam editionem primæ et secundæ

[1] Hujus Guarini filius, Baptista Guarinus, patris rationem docendi proponit in libro quem scripsit anno 1459 *ad Matthæum Gambaram Brixianum, adolescentem generosum, discipulum suum, de ordine docendi et studendi.* — Addit (ed. Struve, Iena. 1704. p. 74) : Præterquàm quod omnia sumit (Alexander) à Prisciano, faciliùs etiam quæ carminibus scripta sunt, memoriæ commendantur conservanturque.

[2] Cf. Sbaraglia, *Suppl. ad scriptores minorum*, p. 21, 22.

[3] Edita sunt Neapoli, Romæ, Venetiis, Tarvisii, Bononiæ, Mediolani, Reggii, Vicentiæ, Utinæ, Florentiæ.

[4] Aldi præfatio in institutiones grammaticas : eo ipso tempore quo nostra ediscunt, facilius meliusque vel Ciceronis aliquid vel Virgilii aliorumve illustrium possent ediscere, olìm et decori et commodo illis non mediocri futurum. Equidem puero mihi, cùm Alexandri carmen de arte grammaticâ præceptore cogente memoriæ mandabam, non ita contigisse plurimùm doleo.

[5] Invenias opus in operibus Mancinelli, Venetiis 1498-1502. — Mancinellus quoque edidit versilogum et carmen de figuris.

partis quæ Venetiis anno 1502 prodiit. Rudimenta Perotti, Sulpitii Verulani regulæ, Mancinelli technica carmina, Aldi institutiones grammaticæ Alexandrum ferè ubique exceperant.

§ II. GERMANIA.

In Germaniâ humaniores litteræ non, ut in Italiâ, patrio quodam amore excultæ sunt. Sed, a Germanis ex Italiâ reversis importatæ, tanquàm peregrina et hæretica etiam novitas suspectæ habebantur. Theologi et præcipuè monachi Doctrinale tanquàm grammaticale Evangelium fovebant, et nefas putabant librum tam antiquâ auctoritate et tot sanctorum hominum usu quodammodo consecratum ejici. « Tales « ita magno numero . . . sunt, ut non solùm angulos quos- « dam, sed gymnasia, thermas, theatra, porticus, pla- « teas, et fora omnia, adeo ipsa etiam templa repleant. Et « sunt adeo arctissimè inter se confœderati adversùs nos ipsos, « qui veteris eloquentiæ studiosi sumus, nostraque humani- « tatis studia, ut putent nullum ad eximiam aliquam eruditio- « nem pervenire posse, nisi in Alexandro Gallo versatus sit[1] » – De Alexandro igitur ejiciendo a scholis aut retinendo monachi et homines humaniorum litterarum studiosi acerrimè decertabant.

Primus Rudolphus Langius[2], canonicus Monasteriensis, qui in Italiâ humaniores litteras didicerat, satis valuit ut circa annum 1480 schola cathedralis Monasteriensis ad Italorum exemplum reformaretur, et, ejecto Doctrinali, alia

[1] Hermannus Buschius præfatio in Claudianum (apud Hamelmann, *Opera genealogico-historica de Westphaliâ atque Saxoniâ inferiori*, Lemgoviæ, 1711, p. 298).

[2] Hamelmann, p. 261–278.

grammatica substitueretur. Obstitit consilio Coloniensis universitas, tum infensissima humanioribus litteris, et scripsit ad capitulares cathedrales, ne usitatos libros e scholâ ejici paterentur. Langius fortiter restitit, et « ad Itali« cos scriptores provocavit; isti in responsione pro Langio « pronuntiant, et insulsos istos Colonienses professores dam« nant. Ita tandem, cùm... Italorum censuram judicio Langii « convenire cognosceret, episcopus permisit capitulo cathe« drali ut facerent in eâ re pro arbitrio »[1]. E Langii scholâ tanquàm magistrorum seminario multi exierunt qui scholas tùm in Flandriâ et Hollandiâ, tùm in Wesphaliâ rexerunt, novamque docendi rationem propagabant, Alexandrum ejiciebant[2]. Langius ipse cùm consiliis, tùm opibus et gratiâ fovebat humaniorum litterarum studiosos. Ejectos ex universitate Coloniensi propter antiquorum auctorum studium liberaliter hospitio excipiebat. Inter ejus discipulos acerrimus Alexandri hostis referendus est Hermannus Buschius[3]. Hic ex equestri familia juxta urbem Monasteriensem anno 1468 natus à parentibus Langio commendatus est. Langius puerum misit in scholam amici Hegii, Daventriam, et in juventutem provectum Italiam petere suasit. Ex Italiâ reversus, Buschius homo inquietus, peragrabat omnes Germaniæ urbes tanquàm bonarum artium apostolus. Hinc explosus, illic summis plausibus exceptus, adversus *Barbaros* et Alexandrum indefesso studio prædicabat. Colonienses præsertim carpebat, majori latinitatis quàm urbanitatis elegantiâ : « Tu, quod Cicero, quod Varro, « quod Livius, quod Cæsar et Florus, quod Valerius, quod « uterque Plinius, et cæteri eminentissimi scriptores locuti

[1] Hamelmann, p. 265. Hic scriptor, parum diligens, fontes non indicat.

[2] Johannes quidam Murmellius, Hegii discipulus, in scholâ Langii professor ab anno 1498, priorum testimonia adversus Alexandrum in *Scopario* congessit (Hamelmann). Librum ipsum videre non licuit.

[3] Hamelmann in opp. gen. etc. narratio de vitâ et scriptis Hermanni Buschii, p. 281-312. — Scribit Hamelmann Buschium in Alexandrum invehi præcipuè in commentariis quos dedit in artem Donati. Nihil equidem inveni in editione quæ prodiit Coloniæ 1525.

« sunt, dubitas imitari, nisi conveniat ille Alexander! Hunc « tu judicas idoneum, stolide, qui de Virgilio aut Cicerone « pronuntiet. Quid, si idem velis, ut sus Minervam do- « ceat[1]? »

Fœderatorum[2] doctorum tandem auctoritas satis valuit, ut, in ultimis quinti sæculi decimi annis et primis sexti decimi Doctrinale publicè excluderetur e scholis in urbibus Griphiswaldis, Rostock, Erphordiâ, Lipsiâ, Osnabrugâ[3]. In universitate etiam Wiennensi, circa annum 1488, Bernardus quidam Perger, magister, grammaticam novam ex Perotto confecit, quæ ferè ab omnibus probata est[4]. Circa idem tempus apud Suevos Jacobus Heinrichmaunus et Alexander Brassicanus *præcepta grammatica* conscripserunt quæ magno fuerunt in usu inter Bavaros. Johannes Aventinus, principis præceptor, rudimenta grammaticæ de octo partibus edidit (Monachi 1512) quæ a publicâ auctoritate commendata, in Germaniâ superiori probata sunt.

Multi tamen etiam in sexto decimo sæculo Doctrinali pertinaciter adhærebant, correcto quidem et novâ glossâ instructo. Sed reformatio cùm Ecclesiam tùm scholas quæ totæ ab Ecclesiâ pendebant subvertit, et grammaticam Melanchtonis anno 1550 editam in novas scholas adduxit.

§ III. FLANDRIA.

In Flandriâ, congregatio Hieronymitarum, a Gerhardo

[1] Decimationes Plautinæ (apud Hamelmann, p. 298).

[2] Omnes Germani qui tùm humaniores litteras colebant sibi sæpè scribebant mutuamque ferebant opem adversùs monachos. Conradus etiam Celtes, poeta laureatus, instituit circa 1500 *Societatem Rhenanam litterariam* (Heeren, *Geschichte der classischen litteratur in Mittelalter*. II, 181).

[3] Cf. Hamelmann, 293, 294, 296.

[4] Ruhkopf, *Geschichte, etc.*, p. 235.

Magno circa annum 1384 instituta [1], omnes ferè scholas occupabat. Isti fratres, tùm mendicantibus conjuncti, *optimorum auctorum inopiâ laborabant* [2].

Moderator tamen ludi Daventriensis, Alexander Hegius (1433-1498), homo Westphalus, popularis sui Langii consiliis et hortationibus paruit, et Italicam docendi rationem adhibuit [3]. E Daventriensi schola multi humaniorum litterarum studiosi exierunt [4] et ludorum magistri.

Hieronymitæ quidam, Johannes Sinthemius [5], Hermannus Torrentinus [6], Doctrinale novis glossis instruxerunt quæ non jam e logicâ sed ex auctorum usu et consuetudine petebantur. Hermannus etiam Torrentinus, Hegii discipulus, Doctrinale corrigere ausus est, tollere versus qui sibi vitiosi videbantur, et alios in eorum locum substituere. Hæc inaudita audacia multorum indignationem excitavit, ut Torrentinus cogeretur scribere apologiam ad fratrem suum Johannem Torrentinum, monachum regularem. Idem tamen opus suscepit Johannes Custos [7], in artium Facultate Lovaniensi ad primum locum promotus anno 1496, qui litteras in Castrensi gymnasio Lovaniis docuit.

Facinus longè audacius aggressus est Johannes Despauterius, Ninivita [8], quem grammaticam Custos in Castrensi gymnasio docuerat. Despauterius anno 1501 inter magistros artium

[1] Gerhardi Magni vita in Thomæ a Kempis opp. Paris. 1549, fol. 159.

[2] Erasmi, *Epist.* ad Lambertum Grunnium (opp. ed. Lugd. Batav., t. III, p. 2, 1822).

[3] Alexandri Hegii, artium magistri, gymnasiarchæ quondam Daventriensis... utriusque linguæ docti dialogi. Daventriæ, 1503. — Invenitur in libro *invectiva in modos significandi*, in quâ Alanum et *Alexandrum* dicit indignos esse qui legantur et emantur (Hamelmann, p. 326).

[4] Hamelmann, p. 326.

[5] Prima editio commentariorum in Doctrinale Daventriæ 1488 prodiit.

[6] Vita ejus in Foppens Bibliotheca Belgica.—Commentaria in Alexandri Grammaticæ primam et secundam partem Argentorati, 1507. Deinde edita sunt Coloniæ, 1508; Daventriæ, 1511; Coloniæ et Tubingæ, 1512; Argentorati, 1513 et 1516; Tubingæ, 1514; Antwerpiæ, 1524.

[7] Vita ejus in Foppens Bibliotheca Belgica, II, 623.— Et Despauterius, præfatio in primam partem artis grammaticæ.

[8] Gallicè scilicet *Ninove*. Flandre orientale, 31 kil. S. d'Oudenarde.

quartum locum obtinuit, et Sylviducensi in oppido, dein Bergis S. Winnoci, Cominiique ludum litterarium aperuit [1]. Plurimis Belgis tum celebribus familiariter utebatur, Jacobo Meyero, Martino Dorpio, Jodoco Badio. Mœcenatem habuit Georgium Haloinum, nobilem et eruditum virum, qui cum eo multos Italorum libros communicavit [2]. Despauterius Alexandrum *puerorum lectione indignum* judicabat, et se in ejus locum substituere conatus est. Ordinem Doctrinalis secutus, versibus quoque grammaticæ præcepta de generibus nominum, declinationibus, præteritis et supinis, syntaxi, quantitate et figuris describere conatus est [3]. Cætera enim in rudimenta rejiciebat. Syntaxin primùm [4] et anno 1510 artem versificatoriam edidit, deinde anno 1512 etymologiam, quam vocat primam partem grammaticæ, anno demum 1519 librum de figuris [5]. Versibus præcepta in primis necessaria complectitur, in glossis quas ipse versibus suis adscripsit de subtilioribus quærit. Quæstiones semper ex usu classicorum auctorum, nunquàm e logicâ deciduntur. Sæpius etiam in scholasticos grammaticos invehitur.

Novum illud Despauterii Doctrinale barbaros jurisconsultos præcipuè, artistas et theologos in Despauterium concitavit. In omnibus præfationibus de adversariis conqueritur; scribit anno 1510 [6] : « Clamant indocti homines rem me indignam « fecisse, quód, repudiato Alexandri Galli Doctrinali, voluerim « senem illum de ponte (ut aiunt) dejicere, vociferantes me « esse novitatis fatuæ excogitatorem, ut qui *contra Ecclesiæ*

[1] Foppens, Biblioth. Belg. II, 628.

[2] Despauterius, *Præfatio in artem versificatoriam* (ed. Steph., p. 356).

[3] Robertus Stephanus Despauterii opera collecta edidit a. 1537, f°.

[4] Despauterius, præfatio in primam partem (ed. Steph., p. 24) : Syntaxi et stichologiâ editis primam grammaticæ partem publicare decrevi. — Quo anno primùm syntaxin ediderit ignoro. Anni quos indicavi epistolis adscripti sunt, quas singulis operum partibus Despauterius ut præfationes præmisit.

[5] Librum de accentu (1510) pedestri sermone conscripsit.

[6] Præfatio in primum librum artis versificatoriæ (ed. Steph., p. 361).

« *usum perversissimè doceam.* Decani, canonici, officiales, « episcopi ita canunt et legunt (inquiunt isti) ut Alexander « præcepit, et audes profiteri te his doctiorem... His si placere « vellem, glossam notabilem in Alexandrum aut Græcismum « aut Facetum legerem. Sic haberent similes labra lactucas. « Notum est asinos stramina malle quàm aurum. Verùm non » tanti est nebulonibus placere, ut a musis ad barbariem velim « unquàm deficere. »

Doctrinale tandem, ut scribit Meyerus circa annum 1538[1], « explosum est a doctioribus grammaticis, quorum in albo « doctissimus noster Despauterius haud ultimum tenet locum. « O quantas nunc immensæ Dei benignitati debemus gratias, « qui tenebras depellere, ac linguas litterasque dignatus sit « reddere, excitatis ad hoc pulcherrimis ingeniis[2]. »

§ IV. GALLIA.

In studio Parisiensi humaniorum litterarum studium non magnas turbas excitasse videtur.. Quamvis Fichetus, qui in Sorbonico collegio rhetoricam circa 1470 docuit, *complures* hortatus esset *latinè discere et eleganter loqui*[3], usque ad sextum decimum sæculum logica multò magis quàm litteræ exercebatur. Artistæ et theologi humaniores litteras contemnebant,

[1] Hoc anno primùm chronicon Flandriæ editum est. — Verba Meyeri legas ad annum 1212, in annalibus rerum Flandricarum, lib. VIII.

[2] Bulæus, I, 518 : Despauterium Alexandri loco patres in Synodo Mechliniensi anno 1514 pueris prælegi præceperunt. — Nescio unde hæc Bulæus hauserit. Falsa sunt, cùm de hâc synodo Despauterius in præfatione ad librum de figuris anno 1519 editum, et Meyerus in opere 1538 edito prorsus taceant. Censor denique Bulæi hæc ad hunc locum annotat (excerpta ex opere Bulæi, p. 29) : Non extat ista synodus in editionibus conciliorum. Tunc ecclesia Mechliniensis nondum erecta fuerat in cathedralem et metropolitanam, quem honorem postea obtinuit a Paulo IV, anno Christi 1559.

[3] Gaguinus apud Bulæum, V, 682.

quas communi nomine *grammaticam*[1] vocabant. Theologus Dullardus Ludovico Vivi solebat dicere[2] : quantò eris melior grammaticus, tantò pejor dialecticus et theologus.

Quamvis Nicolai Perotti rudimenta Parisiis typis expressa fuerint annis 1477, 1479, 1493, 1497, 1499, Doctrinali tamen plerique utebantur. Flandrenses homines in primis sexti decimi sæculi annis multùm ad meliores litteras reducendas contulerunt. Robertus Gaguinus, Flander, Mathurinensis, Ficheti discipulus, qui rhetoricam et ipse docuit, Parisios evocavit Jodocum Badium, cognomine Ascensium, ex Belgico pago Asca unde erat oriundus[3]. Is Gandavi apud Hieronymitas institutus in Italiâ humaniores litteras didicerat, typographiam Lugduni exercuerat, et a Gaguino vocatus, circa annum 1490 Lutetiæ celeberrimum illud *prelum Ascensianum* instituit. Badius multos antiquos scriptores et recentiores Italos edidit. Doctrinale ipsum cum glossis Sinthemii, multisque additamentis anno 1504 edidit. In istis glossis auctorum usus potius quàm barbara logica ut grammaticæ norma proponebatur. Badius ipsum Doctrinale in aliis editionibus correxit[4], multis versibus additis, multis expunctis, reprehensione etiam Alexandri in textum inculcatâ. Sic ponit post versum (XII, 83) :

> Sed pentimemeri solummodò nos decet uti.

hos versus :

> Hanc tibi plus æquo constat placuisse, magister.
> Nam docti hanc vitant multo magis ac sinalepham
> Elipsinque a te proscriptas lege severâ.

Badius Despauterio amicissimus[5] Despauterii primam partem

[1] Ludovicus Vivès in pseudo-dialecticos (ed. Basil., 1555, p. 281). Hoc opus editum est anno 1519.

[2] Id., *de Causis corruptarum artium* (ed. Basil., p. 361). Opus editum est anno 1531.

[3] Vita ejus in Foppens, Bibliotheca Belgica.

[4] Tertia pars Doctrinalis magistri Alexandri. Parisius, Jehan Gaultier (circa 1510).

[5] Despauterius in dedicatione tertii libri artis versificatoriæ (ed. Steph., p. 413) : Badi amicissime, et omnium litteratorum patrone humanissime.

grammaticæ edidit annis 1517, 1521, artem epistolandi 1516, 1519, 1535, artem versificatoriam 1517, 1521, syntaxin 1519, 1520, orthographiam 1521, 1530, rudimenta 1521. Multum Badius ad humaniores litteras in Universitate Parisiensi excitandas contulit, quòd raros carosque libros typis vulgaverit, et plerisque legendi facultatem dederit.

Doctrinale tamen adhuc retinebatur. Robertus quidam Gouletus circa 1500[1] sic scribit: « quidquid præceptores neoterici, « id est recentiores, dixerint, Alexandri Doctrinale emen- « datum semel prælegi posset, cùm carmen sit satis facile, « et ordinatim documenta tradat. Poterit tamen videri « Perottus, Augustinus Datus, Sulpicius qui pro adultis cen- « setur esse optimus. » Forsan collegia singula suam grammaticam tùm habebant. Professores regii qui circa annum 1530 in collegiis græcam latinamque linguam docere inceperunt, et Francisci I in litteratos amor multum dignitatis grammaticæ et litteris conferre debuerunt; nam annno 1535 grammaticæ professores privilegia regentium in artibus adepti sunt[2]. Iisdem temporibus sensim Doctrinale obsolevit. Et anno 1542 *Hubertus* quidam *Susannæus* scribebat[3]: « inductus « ferè et *ab omnibus scholis explosus erat* Alexander quorum- « dam rabularum sciolorum flagitiosâ improbitate, ac ut « barbarus vitabatur etiam ab iis qui nunquam scripta ejus « legerant. » Nec ille Alexandrum in scholas revocare potuit[4].

[1] Apud Bulæum, I, 518. — Gouletus in artibus actu regebat anno 1493 et 1517 edidit librum de *Academiæ Parisiensis magnificentiâ*.

[2] Bul. VI, 250.

[3] Quantitates Alexandri Galli vulgò de Villâ-Dei, correctione adhibitâ ab Huberto Susannæo, locupletatæ, adjectis utilissimis annotationibus minimèque vulgaribus. Paris. ap. Simon. Colinæum, 1542. in-12.—Præfatio, f° 4 recto.

[4] Ramus, *Oratio pro philosophicâ disciplinâ habita*, anno 1551 (scholæ in artes liberales, etc., ed. Basil., p. 1087). Cf. *Procemium reformandæ Academiæ Paris.* — Despauterium passim carpit (scholæ in artes, etc., p. 66).

§ V. ANGLIA.

Circa annum 1466, grammatica in Angliâ jacebat [1]. Primis tamen sexti decimi sæculi armis, Doctrinale jam desuetum erat, et in Universitatibus Oxoniensi et Cantabrigiensi, lux quædam humaniorum litterarum affulgebat. Scribit Erasmus Henrico Bovillo, 31 august. 1513 [2] : « Ante annos ferme triginta « nihil tradebatur in scholâ Cantabrigiensi præter Alexan- « drum, parva logicalia, ut vocant, et vetera illa Aristotelis « dictata scoticasque quæstiones. Progressu temporis acces- « serunt bonæ litteræ, accessit matheseos cognitio, accessit « novus aut certè novatus Aristoteles; accessit græcarum lit- « terarum peritia; accesserunt auctores tam multi. »

§ VI. HISPANIA.

Apud Hispanos, Antonius Nebrissensis, in Universitate Salmanticensi professor, anno 1483 *introductiones latinas* edidit, quæ, ut ipse scribit [3], *incredibili totius Hispaniæ consensu sunt receptæ*. Novum hoc opus, ut verisimillimum est, Alexandrum excepit, in quem Antonius acriter invehitur.

[1] Epistola Universitatis Oxoniensis ad episcopum Lincolnensem (Wood, *Historia et Antiquitates Univ. Oxoniensis*. I, p. 228).
[2] Opp. (ed. Lugd. Batav., *Epistolæ*, I, p. 130, A.)
[3] Dedicatio Lexici (apud Panzer, *Annales Typographici*. 1795. III, 1).

CONCLUSIO.

Quæri possit an meritò sic Alexander ab omnibus scholis sit explosus. Respondendum esse mihi videtur : nec meritò, nec immeritò. Scholastici libri nec supra nec infra tempora quibus scribuntur esse debent. Si sint supra tempora, non intelliguntur; si infra, despiciuntur. Quòd si temporibus aptè congruant, mutatis temporibus, ipsi quoque oblivioni traduntur. Et Alexandri manes superborum adversariorum fortunâ consolari possim.

Despauterius de Alexandro [1] : « Alexandri Doctrinale doc-
« tissimo cuique visum est puerorum lectione indignum,
« utpote nimis tenebrosum, citra utilitatem prælongum, ple-
« rumque etiam barbarum, insufficiens et falsum. »

Lancelotus de Despauterio [2] : « Ces petites règles seront

[1] Ed. Steph., p. 24.

[2] Méthode latine. Paris. 1761, p. 22, avis au lecteur touchant les règles.

« utiles non seulement aux enfants , mais encore à toutes les « personnes un peu avancées en âge qui désirent d'apprendre « le latin, et qui en sont souvent détournées par l'*obscurité* et « la *difficulté des règles de Despautère qui les épouvante.* »

Russavius de Lanceloto [1] : « Je me mis d'abord à la méthode « latine de Port-Royal , *mais sans fruit. Ces vers ostrogoths me « faisaient mal au cœur* et ne pouvaient entrer dans mon « oreille. Je me perdais dans ces foules de règles , et en appre- « nant la dernière j'oubliais tout ce qui avait précédé.

[3] *Confessions ,* livre VI.

FIN.

SUMMARIUM.

INTRODUCTIO.

PARS PRIOR.

DE DOCTRINALI.

PARS POSTERIOR.

DE FORTUNA DOCTRINALIS. — PRIOR ÆTAS 1250–1450.

POSTERIOR ÆTAS 1450–1550.

Vesontione. — Ex Typis viduæ C. Deis.

Vidi ac perlegi, Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
idibus januariis anni 1850,
Facultatis Litterarum in Academiæ Parisiensi decanus,

J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur.

ROUSSELLE,
Rectoris vices gerens.

BESANÇON, IMPRIMERIE DE VEUVE CHARLES DEIS.